BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
17 B
44

E = Call

ARCE SOLORZANO, Juan
n. 1576 →

pubblicava nel sec. XVII

No fots 26

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

13, 47, 5, 44

Digitized by Google

millima ſacrorum pedum oſcula proiectus, ſupplex oro, vt hanc ingenioli mei lucubratiunculã, etſi non apprime cultam, neq; eruditione contextam, vel maturitate perpolitam, intueri haud dedignetur; ſed rara illa ſua benignitate, magnifica & ſerena fronte eam ſuſcipiat & protegat, meq; in perpetuum ſibi deuotum dignoſcat. Nam ego, Deum O. M. crebro obteſtabor, vt ſicuti Beatitudinem Veſtram, ad Eccleſiæ nauem moderandam, elegit, ita diutiſſimè viuere, huiusq; dignitatis vſura fæliciſſimè potiri patiatur. Vale Poteſtas Petri, & ſpiritus Pauli, huiusq; humillimi clientis nonnunquam memoriam habe.

Beatitudinis Veſtræ

Deuotiſſimus ad Deum orator, & humillimus ſeruus.

Ioannes de Arce Solorzano.

INDEX
OMNIVM MATERIARVM.

1 DE Iuris ſignificationibus. *Pagina* 1
2 *De Iuris Origine.* 8
3 *De Iuris etymologia, ac diffinitione.* 13
4 *De Iuris diuiſione.* 19
5 *De Iure Sempiterno.* 25
6 *De Iure Naturali.* 30
7 *De Iure Gentium.* 49
8 *De Iure Diuino, Naturali, & Poſitiuo.* 60
9 *De Iure Cæſareo, vel Ciuili.* 87
10 *De Legibus.* 101
11 *De Iuſtitia, eiuſque partibus.* 121
12 *De Iure Canonico, ſeu Pontificio pag.* 13
13 *De Pontifice Maximo.* 147
14 *De Concilijs.* 159
15 *De Conſtitutionibus.* 185
16 *De Reſcriptis, Bullis, Breuibus, & Mandatis Apoſtolicis.* 19
17 *De Priuilegijs.* ?
18 *De Conſuetudine.* 230
19 *De Differētia Iuriū inter ſe, ac Eminentia Canonici.* 251

STV-

STVDIOSO LECTORI.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.

Reſpondere cũ Satyrico [a] poſsẽ, tacitæ ſcrutantiũ diſquiſitioni, ſi vulgi ſtylũ ſectari, animumq; meũ contegere vellem. Sed cũ nõ ſic leuiter motus, quin varijs obſtrictus rationibus, opuſculũ hoc fuerim aggreſſus, & pſequutus, placuit ea ſtudioſis hic palã facere, quæ ſeptẽ ſunt.

Prima, nè dũ alij huic myſtico Eccleſiæ corpori, quòad valent inſeruire laborant, ego inutilis iudicer, hunc trientem ſeu terũtiũ offerre volui; quò etiã, animi mei argumentũ, ſi nõ quale velim, ſaltẽ quale hoc tempore poſsũ, sũmãq; meã, vt filiolus Patri, erga Sanctiſs. D.N. Paulum V. Pont. Max. obſeruantiã exhiberẽ.

Secunda, vt viam aliquam Iuriũ candidatis, aut nouitijs ſcholaribus præmunirem, quà deinde ad ipſum Iuſtitiæ, Iuriſq; fontẽ, quaſi per gradus, ab ijs principijs ad sũma, faciliùs, alacriusq; aſcẽdere valeant. Cum hæc Iurium rudimẽta ſint perneceſſaria, & in primis addiſcenda; quia ignoratis principijs, tota materiarũ ſeries ſolet obſcurari, & abſurdũ eſt ad cætera tranſire [b]. His vero

a Perſ. Saty. 5.

b Arg. l. 1. ff. de orig. Iur.

præ-

prælibatis, minus ſalebroſa fortaſſe via erit, ingreſſurisq; longiſsimum iter, cõpendium non moleſtum. Ex quo, quantũ vtilitatis & beneficij proficiſcatur, cuicunq; Iurium amatori facilè patebit.

Tertia, vt mihi ipſi vtilitatem potiſſimũ afferam, cũ qui ſtudet, doceat; docens, ſtudeat; & diſcat, docendo: præſertim, quia, *Studia*, vt Lancellottus ait [c], *ouis auium ſimillima ſunt, quæ niſi foueas ſine intermiſſione, nihil inde naſcitur*.

Quarta, quia cum de quocũque temporis momento, ſit Domino reddẽda ratio, *oportet aliquid boni operis ſemper facere, vt diabolus nos inueniat occupatos*, ait D. Hieronymus [d]. Et cum nõ ſit viri timere ſudorem, vt ſentit Seneca [e], ſed potius, vt Alexãder Macedo dixit [f], *Regiũ laborare, ſeruorumq; otium quærere*, me vigilatorem oſtendere curo; ne in eorũ numero veniam iudicandus, qui laborẽ defugiunt, ſtudiumq; abhorrent, torpẽtes otio, libidine languẽtes, & liqueſcẽtes voluptate, q̃a vt Ouidius admonet [g].

Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tã ſeqtur, quã bona prima fuit

& Ioannes Pedioneus [h].

Præclara vendunt dona laboribus dÿ.
Nunquam inertem laus ſequitur virũ.

Quinta, quia *cum nobis* [i] *denegetur diù viuere, oportet*, vt Plinius ſecũdus notat, *aliqd relinquere, quo nos vixiſſe teſtemur:*

vnde

c Lancell. de cõparat. vtriuſq; Iur. §. vltim.

d Hieron. ad Monachũ & habetur. c. nunquam de conſecrat. diſt. 5.
e Senec. epiſtol. 31.
f Refert Plutarch. in apophth. regum.

g Ouid. 3. de arte.

h Ioan. Pedioneus. od. 6.

i Plinius ſecũdus lib. 3. epiſt. 7. ad Caninũ Ruffum.

vnde ex Epigrammatico illo Hiſpano[k].
Non eſt crede mihi ſapientis dicere viuam
Sera nimis vita eſt craſtina, viue hodie.
& alibi[l].
Si ſapis, vtaris totis Caline diebus,
Extremumq; tibi ſemper adeſſe putes.

Sexta, quia cum nullus Iuris conſultorũ hanc ex profeſſo ſuſceperit prouinciam, ſaltem quẽ ego legerim, quamuis mira accuratione volutatim varias perſcrutatus ſum bibliothecas, licèt nec ea in me ingenij vis, doctrinæ facultas, & rerũ vſus agnoſcatur, vt de ijs rebus pro earum dignitate tractare queam (quod nec ignoro, nec inficior) per Plinium[m] excitatus, qui ait, *Video multos paruo ingenio, literis nullis, vt bene agerẽt, agendo cõſequutos*, libuit experiri, quid in eo genere valerem, vt ſi minus tuæ expectationi, meoq; deſiderio ſatisfacerem, ſaltem tyronibus prodeſſe poſſem, doctioresq; ad ſtudium de eodem argumento ſcribendi excitarẽ, *Nam duo illa*, ait Cicero[n], *nos maxime mouent, ſimilitudo, & exemplum*, bona quidẽ æmulatio aliquos inducit ad ſcribendũ, aliàs non ſcripturos[o]; *Hoc enim habet generoſus animus, quod facilè concitatur ad honeſta*[p], & ſicut flagitioſa ſunt exempla malorũ actuum, ita meritoria exempla bonorum[q], dicente Apoſtolo[r]. *Te ipſum præbe exemplo bonorum operum in doctrina*, &c.

k Martial. lib. 1. epigram. ad Iulium.

l Idem lib. 4. epigram.

m Plin. ſecund. epiſtol. 115.

n Cicer. Rethor. lib. 4.

o not. Ioan. And. de reg. Iur. in fi. num. 24.

p Ex Seneca ad Lucillũ epiſt. 39.

q 11. q 3. cap præcipua.

r Ad Titum 2. facit 20. diſt. c. de quibus & 63. diſt. c. Valentinianus.

Sep-

ſ Petrar. 3. epiſt. 27.

t Ouid. lib. 2. Faſtor.

Septima, quia vt Franciſcus Petrarcha ait [ſ], *Stat iuncta labori gloria*, & iuxta Ouidij ſententiam [t].

Fama manet facti, poſito velamine currūt,
Et memorem famā, qui bene geſſit habet.

In huius operis proſecutione nō ſunt omnia adamuſsim examināda, ſed ſubſtātia ſuccinctè pertingenda, ad iuniorū ſcholariū & iuris alumnorū inſtructionem, attento, quod omnis proceſſus artium & ſcientiarū generatiuus, ordinem in ſe debet habere, & propter vitæ humanæ inſufficientiā, breuitatem cōtinere. At vero quamuis ego non ſapiēs, ſed ſciolus ſim, quod libenter fateor, ideoq; de apicibus * iuris diſputare, haud mihi liceat, ſed in his facilioribus occupari, & ita opus breue ſit, nam

Oīa nec noſtro cōprehēdi carmine poſſūt [a],

nihil tamen, ni fallimur, ad eū quē cupimus finem deeſt. Inuenies quidē aliqua non admodū peruulgata, quæ tibi tùm vtilia, tùm grata fore exiſtimamus. Nā in minimis rebus (vt Cicero & alij dicunt [b]) ſæpè res magnæ deprehēduntur. Et monitus per Hieronymum [c] ſtudētis intelligentiā quæram, non doctrinæ gloriā ex multiplicatione ſermonum. Sufficit quidē mihi, loqui, quod intelligar, præcipue cum ius ipſum, ars & ſcientia rerum dicatur, non verborū [d]. Prudentiā enim in iure dicendo, non politiā deſi-

dera-

* Apicibus, ideſt ſubtilitatibus. ff. mandati l. ſi fideiuſſor. §. quædam.

a Natal. Com. lib. 1. de venat.

b Cic. pro Flacc. Georgius Piſida in mūdi opificio. Eraſm. in prçludijs ad adagia.

c Hieron. ad Cipr. 5. c.

d L. 1. & l. Iuſtitia §. fi. ff. de Iuſt. & iur. §. prudentiam Inſtit. de iuſt. & iur.

deramus, ne accidat ꝙ deteſtatur Greg. vt dum nimis anxiè verborum proprietas conquiritur, ſenſus veritatis amittatur, & ne res ſermoni, ſed ſermonem rebus ſubijciam[e]. melius enim eſt pauca idonea & proficua effundere, quã in multis inutilibus [f] homines prægrauare. Ac etiam, quia vt Bapt. Mantua. in Faſt. Ianu. ait

Ornari res ipſa vetat, contenta doceri.

Ingerunt quidem ſuperflua difficultatẽ, & ſic omnia debent eſſe breui contenta eloquio, præcipuè cum vita tam breuis ſit, quod vno ictu oculi abſoluatur, Ars vero adeo laborioſa & lõga, Doctorum libri infiniti, & volumina ſic ingentia, quod ad Rubricas duntaxat perlegẽdum, vix hominũ vita ſufficiens eſt.

Hoc munuſculum accipias, & ſi forſan in gurgite vaſto tapinoſis ſit [g], & aliqua incompta & imperfecta inuenias, (multa enim ſunt) tua beneuolẽtia condones, sũmaq; ſapientia corrigas, meq; propter multa excuſatum habeas.

Primum, propter operis difficultatem quam maximam eſſe, qui ſcriptis dant operam experiuntur.

Secundum, quia ſi nemo tam feliciter ſcholaſticã rem tractauit, quin poſſit vigilantiori diligentia conſtabiliri, & ornatius diſponi, vnde Aug. dixit [h]. *Negare nõ poſſum, nec debeo ſicut in ipſis maio-*

e c. propterea de verb. ſign.

f L. 1. §. contrarium. C. de vet. iur. enucl, c. non mediocriter de conſecr. d. 5. Auth. de referend. circa finem. ibi *multitudo nihil habet honeſtũ*, c. ſi Romanorum verſic. *quid mẽbranas occupas* 19. diſt. Abb. in proœm. ſuper. 1. decret. num. 4. Gloſ. in c. cum ſit ars de ætat. & qual. vb. Butr.

g Hoc eſt, rei magnę humilis expoſitio ex Seruio lib. 1. Aeney.

h Aug. ad Vincentium Victorem lib. 4. de anima, & eius orig. c. 1. & refertur in cap. negare. diſt. 9.

ribus, ita multa eſſe in tam multis opuſcu lis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio, & nulla temeritate dãnari; quare ipſe multa opera poſtea retractauit [i].

i Ex c. vides 29. q. 6. c. certe. 12. q. 1. c. quodã loco 26. q. 4.

Et docti Iuriſperiti quãdoq; errant [k]; ego qui nõ ſapiens, ſed ſciolus ſum, haud mirum eſt rapi in errorem, & quod ex his etiam nonnulla inuitis nobis effuge rint. Præcipuè cum hoc opus ſic immaturum aut præcox exeat, quod nullatenus corrigi valuerit. De eoq; illud Ouidianum [l] dici poſſit:

k L. 3. §. Neratius, ff. de acqu. poſſeſſ. & in l. Mutius, & ibi notatis. ff. pro ſocio. Alex. in l. 1. in 5. col. ff. ſi cert. pet. facit tex. in l. eſt differẽtia. ff. in quib. cau. pig. ta. contra, & l. ſed an vltro §. fi. ff. de neg. geſt.

l Ouid. 1. de pont.

Nec tamen emendo, labor hic quã ſcribere (maior
Mensq; pati durum ſuſtinet ægra nihil.

& alibi. [m]

m Idem 3. de ponto.

Corrigere, at res tanto magis ardua, quãto
Magnus Ariſtarcho maior Homer⁹ erat.

Tertiũ, quia inter litium implicationem, ægramq; valetudinem, animum variè admodum agitatum & diſtẽtum, ad ocium literarum appellere, vix poſſibile eſt, expoſcit quidem otium literarũ, animi tranquillitatem, iuxta illud.

Carmina ſeceſſum ſcribentis et otia quæ-(runt.

& Cicer. [n]

n Cic. in Rethor.

Negotijs familiarib⁹ impediti vix ſatis otiũ ſtudijs ſuppeditare poſſumus,

Nam vt Ouid. ait [o]:

o Ouid. 3. faſtor.

Solicitæ mentes, ſpèq; metùq; pauent.

Quartum, quia licèt bonũ ex integra ſit cauſa, malum vero ex quocunq; defectu [p], vbi plurima bona inueniuntur

p Dion. cap. 4. de diuinis ominib.

non eſt cur minima præagrauent, Horatio dicente q:

Vbi plurima nitent in carmine, non ego
Offendar maculis, &c. (*paucis*

& inferius

----- quādoq; bonus dormitat Homerus
Verū operi longo fas eſt obrepere ſomnū.

Et ſufficiat bene velle, quando non poſſimus bene poſſe: ſi enim vt ſtudēs ſum, analectes eſſem r altiora pleniori calamo ſcripſiſſem. Hæc vero qualiacunq; ſint, collegimus ex optimis quibuſq; doctoribus: & cum nobis viſum fuit eorū aliquem commodiſſimè ea tradidiſſe, etiam ad verbum ex ipſo deſumpſimus. Neq; ob id reprehenſionem vllam veremur apud æquos iudices. Nam vbi habetur optimum, ſi aliud quæritur, peius haud dubiē reperietur. Omnia, in debitū vt exiſtimo, redegimus ordinē. Ideoq; grato animo, quæ beneuolo offerimus accipias, ſi alia opuſcula noſtra videre exoptas, & te phagolædorū, aut ſycophantā non demonſtres, quod ſi facere recuſes, quia reprehenſionem vitare non poteſt, niſi qui non ſcribit, prompta eſt enim reprehendendi libido; ſaltim vt non inuidi, ſed curioſi nomen adipiſcaris, hoc vnum duntaxat mihi concedas, quod

Ne mea dona tibi ſtudio diſpoſta fideli,
Intellecta prius quam ſint, contempta relinquas ſ.

q Hor. in arte poet.

r Analectes eſt qui mi... ta lectione exercitatu... memoria eſt firmiſſima

ſ Lucret. lib. 1. de n... tur. rerum.

ANA-

IDEA TOTIVS OPERIS.

IVS.

- Diuinū
  - Sempiternum (In Deo exiſtēs à quo cętera proueniunt iura.
  - Naturale; In cordibus hominum ſculptum
  - Poſitiuū
    - à Deo
      - Per Angelos Moyſi
        - Ceremonialia; diuiſa in
          - Sacrificia.
          - Sacra.
          - Sacramēta.
          - Obſeruātias.
        - Iudicialia; quæ ordinabant.
          - Principes ad ſubditos.
          - Subditos inter ſe.
          - Rēpublicā ad exteros.
          - Familiā domeſticā in ſe ipſam.
      - Per Verbū Incarnatū
        - Sacramēta
        - Conſilia.
    - ab hominibus ſcilicet,
      - Apoſtolis
      - Concilijs nempe
        - Vniuerſalibus.
        - Prouincialibus
        - Epiſcopalibus.
      - Pontificibus.
- humanū
  - Naturale quatenus
    - Ens.
    - Viuens.
    - Animal
    - Homo.
  - Poſitiuū diuiſū in
    - Ius Gētium à quo introducta.
      - Bella
      - Captiuitates
      - Rerū diuiſiones
      - Fœdera
      - Contractus oēs.
    - Ius Ciuile ꝙ.
      - Diuiditur in
        - Publicū conſiſtit in
          - Sacris
          - Sacerdotibus
          - Magiſtratib⁹
          - Tota Repp.
        - Priuatū
          - Ad ſingulorū vtilitatem attinet.
      - Verſatur circa
        - Perſonas
        - Res
        - Actiones
    - Ius Canonicū, quod conſtat.
      - Iure diuino
        - Morale
        - Myſtico
      - Conſuetudine
      - Cōſtitutionibus, quæ
        - Conſtat
          - Stat. Cōcil.
            - Vniuerſ.
            - Prouin.
            - Epiſcop.
          - Pōtificum decretis
          - Sanctorum dictis,
        - Abolēt.
          - Abrogatione
          - Ceſatione cauſæ
          - Actu contrario
          - Lege poſteriore
          - Non vſu,

DE IVRIBVS AC EMINENTIA CANONICI, VIRIDARIVM.

De Iuris Significationibus,

SECTIO I.

SVMMARIVM.

1 *Nominum cognitio, quam neceſſaria ſit.*
2 *Iuriſtarum eſt, vocabulorum etymologias ponderare.*
3 *Ius, ſignificat Iuſculum, & aliquoties, rectum, vel iuſtum.*
4 *Ponitur etiam aduerbialiter, & quandoque pro poteſtate, arte, verborum forma, & rigore iuris.*
5 *Pro vinculo quoque, pro naturali proprietate, & loco vbi Ius redditur.*
6 *Interdum, pro Iuris impoſitione, dominio, & libertate.*
7 *Alia plura ſignificata aſſignantur.*
8 *Nonnumquam pro iniquo, & ſumma malitia accipitur.*
9 *Aliquando pro titulo, ſeruitute, qualitate indiuidua, lege, & commodo.*
10 *Antiqui verſus, prædicta ſummariè continentes.*
11 *In expoſitione vocabulorum, quid attendatur.*
12 *Ius, pro obiecto iuſtitiæ crebrò ſumitur.*

IVRIDICAM Facultatem obeuntibus,nomen IVS, in ipſo ſtatim veſtibulo, ſeſe primùm offerre,haud dubiũ eſt. Et cum † quæſtio quid nominis, veniat ſemper in ſcientijs præponenda [a], ne rei deſit cognitio, nomine rei ignorato [b], de ſignificatione ipſius, nonnulla in primis agere,neceſſarium eſſe,nec vllum latet, nec Vlpianus [c] ſilentio prætermiſit, cũ dixiſſe conſtet; *Iuri operam daturum, prius noſſe oportet, vnde iuris nomen deſcendat*, nec Iuriſtarum mori diſſonat, † quorum præcipuum eſt munus, vocabula ponderare [d], & à nominis etymologia frequenter arguere [e]. Quamuis enim,vt dici ſolet,rebus,non verbis,traditæ ſint leges [f], qui virtutes vocabulorum ignorat,facilè decipitur [g]. Quamobrem, vt de Iuribus materiam aggrediamur; varia huius nominis IVS ſignificata;ſicut ex antiquis doctoribus [h], & diuerſis Lexicographis accepimus [i]; hic quam ſuccintè poſſimus,annumerabimus.

IVS in primis † ſignificat *Aquam pinguem*, vel liquorem,earum rerũ quæ coquuntur,ex Terentio [k]: *Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent*, & Horatio, *Offas in iure natantes*. Vndè *Iuſcum*, ſiue, quod vſitatius eſt, *Iuſculum*, ex Catone [l], dicente: *Poſtea in-*

1

† l. 1. vbi cõmu. DD. ff ſi cert. petat.

a Ariſtot. 1. Poſterior. Neuiz. in Sylua nupt. lib. 1. q. 1. nu. 170.

b Ariſt. 1. elench. Iſid. li. 1. etymol.

c Vlpi. l. 1. ff. de iuſt. & iur. l. 3. in fin. ff. de iur. dotium.

2

d leg. minime, leg. ſi de interpretatione, ff. de legib.

e 16. q. 1. cap. ſi cupis, & cap. cum ſecundum, de præbendis, cap. per venerabilem verb. ſanè, qui fil. ſi legit.

f leg. vnica, C. communia, de legat.

g Roger. in rubr. de cauſ. poſſeſ. & propriet. Angel. conſ. 110. Sebaſt. Med. de diffinit. par. 1. in procem. nu. 5.

h Ioan. Mona. in c. cupientes, de elect. in 6. ſuper verb. Iuribus in fin. primæ partis, Ioan. Andr. de regu. iur. in princ.

i Prateiũs, Briſſonius, Hotomãnus, Schardius & Nebriſſenſis in verb. Ius.

3

k Terentius in Eunucho.

l Cato de re ruſtica.

de Iuſculum frigidum ſorbere.

IVS etiam, eſt idem quod *Rectum*, vel *Iuſtum*, quod à Iuſtitia deriuari tenent aliqui [m], vnde *Iſte habet ius*, ideſt habet pro ſe Iuſtitiam; & ſic pluries habere plus facti, quam iuris, dicimus; cũ aliquis poſſeſſionẽ obtinet (pro qua notatur factum) non tamen habet pro ſe iuſtitiam [n]. Sic etiam dicitur, ferri ſententia contra ius litigatoris [o]. Inde *Ius ſuum obtinere non poſſe*, dicebant veteres eum, quem nunc, iuſtitiam habere, vel conſequi non poſſe, dicimus; vt Cicero teſtatur, *Philodamus* (inquit) *Poſtquam ius ſuum obtinere non potuit; vt humanitatem, conſuetudinemq; ſuam retineret, laborabat*. In eadem ſignificatione ſumitur, *Ius ſuum non retinere* ex eodem Cicerone [p]: *Hoc edicto non Siculi, ſed iſti ipſi Equites Romani, qui ius ſuum retinere, ſe contra Apronium poſſe, erant arbitrati*. &c.

Aliquando etiam, † aduerbialiter ponitur, pro eo quod eſt, *Merito*, ex Quintiliano [q]: *Quis eum id non meruiſſe, quis non iure paſſum affirmet?*

Quandoque ſignificat *facultatem & poteſtatem* [r], vt eſt mihi ius eundi per viam publicam.

Ars etiam dicitur [ſ], ideſt ſcientia moralis, quæ eſt in Iuriſconſultis ad inueſtigandum, quid nã æquũ ſit, lege ſancire.

m gloſſ. in leg. 1. ff. de iuſt. & iur.

n habetur idem de conceſſ. præb. c. cũ noſtris.

o de ſent. excommun. c. venerabili §. 2. cum concord.

p Cicero in Verrem actione 4.

†

q Quintilianus.

r ff. de pace confir. iur §. ſed filius. ff. de tutelis. l. 1. in princ. inſtit de iur. nat.

ſ ff. de iuſt. & iur. leg. 1

Accipitur nonnumquam , pro *verborum conceptione* , *vel forma* [t] , vt ſi dixeris , quod in ſtipulationibus verſatur Ius .

Item , pro *rigore iuris* [u] . Sed licèt in vſucapione , interdum rigor appareat , & contra naturalem æquitatem videatur introducta [x] , ſi ſubtilius conſideretur, maximè æquitati innititur, cū præcipuè æquum ſit, quod publicæ vtilitati deſeruit .

5 Pro † *Vinculo* [y] , quoque ponitur: pro *naturali proprietate* [z] , & etiam pro *loco* , *vbi Ius redditur* [a] , appellatione ſumpta, ab eo quod fit, in id in quo fit . Quem locum definiunt ; vbicumque Prætor (vel domi , vel in itinere) ſalua maieſtate imperij ſui , ſaluoq; more maiorum dicere ius conſtituit , vnde *Ius dicendi* [b] . Quamuis pluries *Ius ſibi facere* , vel *dicere*, translatè ponatur, pro *Prætoris imperiū ſibi vſurpare* [c] . Veluti ſi quis rem ſuam, propria auctoritate arripiat , vel per vim adducat : aut, ſi creditor , pro debito, pignus capiat , inuito debitore : nam tunc, Ius crediti amittit [d] . Sed *Ius ſibi dicere* , quis poteſt ; propria auctoritate, debitorem fugientem, capiendo ; ſi iudicis copiam habere nequit [e] . Pari modo , aliquos caſus in iure inuenies , ſed plures plenius in Speculatore [f] collectos . *In Ius vocari* , eſt in locum vocari,

t Leg. ſi vnus. §. pactus ne peteret. ff. de pactis. Et de hac conceptione habetur. ff. de verbor obligat. l. 1. & C. de contra. & commit. ſtipul. l. omnes .

u Leg. 1. C. de leg. & l. cum vna. ff. de leg.

x Vt habetur in c. ius generale diſt. 1. in gloſ.

y Inſtit. de oblig. in princ. ff. de actio. & obl. l. obligationum ſubſtantia, in princip. Inſtit. de rebus eorum in fine.

z ff. de pactis l. ſi ſeptē. §. pactus verſi. quod in ſpecie.

a ff. de iuſt. & iur. l. penult. §. alia.

b ff. & Cod. de in ius voc.

c Vlp. l. 1. ff. Quorum Legatorum.

d Leg. penult. ff. de vi priu.

e Leg. ait Prætor. §. ſi debitorē ff. de his quæ in fraud. cred.

f Specul. de actore §. 1.

cari, vbi iudex conſiſtit iudicandi gratia. Ego tamen crederem, eodem modo accipi, *In iure comparere*, quam *In Ius vocari* [g]; quia experiundi cauſa, an ius ſibi patrocinetur, vocatur, & comparet: & ibi *IVS*, vt Dominicus Soto ſentit [h], potius venire accipiēdum pro *iure ipſo*, vel *lege*, quam pro *loco*.

6 Item Ius, † ideſt *Iuris impoſitio*. Conſtituunt quidem leges diferentiam, inter conditionem *Iuris*, & *Facti*. Nam *Facti conditio*, non ineſt rei, ſed ab extrinſeco imponitur: Conditio vero *Iuris*, ineſt ab intrinſeco, & à iure imponitur [i].

Ius etiam *Dominium* [k] dicitur. Aliquando vero ponitur pro *auctoritate, ſiue libertate quadam, atque licentia*, vt ex Cicerone conſtat [l]: *Quare* (inquit) *ſuo iure, noſter ille Ennius, Sanctos appellat poetas*, ideſt, ſua quadam auctoritate, & pro libertate, ſibi, omnium conſenſu, vt grauiſſimo poetæ, conceſſa. Idem Cicero, *Pro meo iure dico*, quaſi, confidenter. Hinc, *ſui iuris*, ideſt *liberi* [m] *eſſe* dicũtur, qui nullius imperio ſubiecti ſunt.

7 Accipitur aliquando, † pro eo quod *totale*, vel *totaliter* [n]. Nonnumquam vero, pro *Iuris capacitate*; aliàs, pro *Iuris neceſsitudine* [o], veluti ius cognationis, vel affinitatis: Quandoque pro *Iuris efficacia*; Interdum, pro *Iuris deciſsione, vel determinatione* [p], & frequenter, *pro toto*

g §.vlt. inſtit. de pœna temerè litigant. & ff. de in ius vocando.
h Soto de iuſt. & iur. lib. 3. q. 1. ar. 1. in fin.
i ff. de condict. & demonſt. l. multum, cuius legis ratio habetur ff. de condict. cauſa data. l. ſi pecuniam. §. item ſi quis.
k ff. de curat. furi. l. conſilio. §. cum.
l Cicer. pro Archia.
m ff. de his qui ſunt ſui vel alien. iuris.
n Leg. ſi ſeptem. §. pactum. ff. de pact. 2. reſponſ. & l. ſi tibi. 10. § quædam: & de elect. in 6. c. quamquam, & de Vſuris in 6. c. quamqu[am] in fine.
o Leg. vlt. & penult. ff de iuſt. & iure.
p ff. ad l. Aquiliam. l. [illegible]

ex plagis, §.inclino, ibi *Ius eſt in cauſa poſitum*, ideſt, *Iuris reſponſio poſita eſt in exemplificatione facti*. Sic dicitur, *quæſtio Iuris*, ff. de ſtatut. hominum. l. Arethuſa.

corpore iuris : ideſt, pro voluminibus Iuris ſcripti. Nonnumquã dicitur, id, quod *iuri ſcripto eſt approbatum*, vt laudabilis conſuetudo [q]. Aliquoties † Ius dicitur, *quod iniquum eſt*, reſpectiuè ad id quod fieri conſueuit; licet de ſe ſit iniuſtum [r]. Hinc Prætoris, & cuiuslibet iudicis ſententia, Ius vocatur, etiam cum Ius reddens, iniquè decernit : relatione facta, non ad id, quod Prætor ita fecit; ſed ad illud, quod Prætorem facere conuenit: & ſic *Ius reddere*, dicitur, ſententiam in fauorem alicuius pronuntiare [ſ], vel ſecundum rei veritatem, vel iuxta allegata, & probata : quamuis ſecundum rei veritatem, iniquum ſit. Inde in Iure ciuili [t] *Prætoris edicto hæc legis iniquitas emendata eſt*, & alibi [u], *Si quis iniquum Ius, aduerſus aliquem impetrauerit, ipſe eo iure vtatur*. Vnde etiam, tritum habetur illud axioma : *Summum Ius, ſumma iniuria*, quo vſus eſt Comicus [x].

8

Verum illud Chreme dicunt, Ius ſummum ſæpe ſumma malitia eſt.

Collumella [y] etiam, *ſummum Ius*, inquit, *antiqui ſummam putabant crucem*. Sed ex doctrina Budæi, & Prateij [z] colligitur, *Ius ſummum* vocari, id, quod ſupra ſe nullum habet : quia in ſuo genere abſolutè conſideratum; omnes regulæ, & theſes iuris, rem de qua tractant, ſuprema atque ſtrictiſſima ratione diffiniunt;

q ff. de aqua pluu. ar. l. 2. §. Labeo in fi. ff. de iuſt. & iur. l. penult. inſtit. de iur. nat. gent. §. conſtat. & §. ex non ſcripro, c. quamquam, in princ. de elect. in 6. de ſuppl. negl. præl. c. Romana in 6. 8. diſt. c. quo iure. 9. q. 3. c. conquæſtus.
r ff. de iuſt & iur. l. penult §. Prætor, Inſtit. de Senatuſc. Tertul. in gloſſ. §. 1.
ſ Leg. penult. ff. de iuſt. & iur.
t Inſt. de ſucceſſ. liber. §. 1.
u ff. Quod quiſque iuris, &c. l. ſi quis.
x Terent. in Heaut.
y Columell. l. 1. de off. patrisfamil.
z Bud. in l. 1. ff. de iuſt. & iur. Prateius in Lexicone Verb. Ius ſummũ.

niunt; ſed ſimpliciter, ac ſine vlla circunſtantiarum conſideratione, futuri facti. Perperam ergo aliqui, *ſummum ius*, intelligunt paſſim, pro *iniquo iure*. Nam omnes regulæ, omnes leges, omnes denique hominum traditiones de moribus, poſſunt dici *ſummum ius*, aliquo reſpectu: quæ ſi eſſent *ſumma iniuria*, quid haberemus pro iure? Sed cum *ſummum ius*, bifariam accipiatur; *propriè* ſcilicet, & *impropriè*: quando *ſumma iniuria* dicitur, *impropriè*, & reſpectu alieno acceptum, iudicabimus.

Pro † *titulo* etiã ponitur [a], vt *Petrus docet de iure*, ideſt, *de titulo*. Pro *ſeruitute*, vt ius aquæ ducendæ [b], & iura prædiorum, quæ ſeruitutes appellantur [c]. Pro *qualitate* indiuidua, vel rei inhærente [d], & ſic *iure proprio*, dicitur aliqua res vendi, in inſtrumento venditionis, quando *proprietas* transfertur in ementem: & qui prædia, cum iuribus ſuis, reſtituere promittit; intelligitur, vt reſtituat, eiuſdem bonitatis, ſalubritatis, & amplitudinis [e]. 9

Pro *lege* etiam accipitur, vt Pomponius accepit [f]: & tandẽ pro *commodo* [g]. De quibus omnibus (paucis exceptis) extant hi antiqui verſus, † à Ioanne Andrea relati [h]. 10

Ius aqua, Ius rectũ, Ius dicit̃ eſſe poteſtas,
Ius ars, forma, rigor, vĩcul⁹, natura, loc⁹q;

a De conceſſ. præb. c cum noſtris. ff. ſi ſeruitus vendicetur. Leg. ſi quis diuturno.
b ff. de ſeruitut. præd l. 2.
c Inſt. de reb. corpor & incorp.
d De præbend c. dilecto, l. quid aliud, ff. de verb. ſignif.
e Leg. quid aliud, ff. de verb. ſignif.
f Leg. 2. ff. de orig. iur. §. itaque in ciuitate.
g Leg. quod dicimus, de Verb. ſignif.
h Ioan. Andr. de regu. iur. in princip.

Imponens, dominãs, totũ, capienſq; neceſſe,
Efſice, decide, corpus ſcriptũ, dic iniquè Ius,
Titulus, ſeruitus, qualiq; notat hic Ius.

Denique IVS ſignificat, quod ſubiecta
11 materia, vel vſus † communis id recipiendi, in tali loco, in quo profertur, ſignificare declarat; quia in exponendis vocabulis, attendendus eſt vſus, & conſuetudo loquendi [i]. Sed cõmuniter † ac-
12 cipitur, quatenus obiectum eſt iuſtitiæ: videlicet, pro *æquitate*, quam iuſtitia in rebus conſtituit [k]. Vt ſi tenearis, ſexdecim mihi nummos aureos ſoluere, & à te, libros decem accipiam, valore viginti nummorum aureorum; iuſtitia poſcit, tibi quatuor reſtitui, vt inter te, & me, detur æqualitas; & vterque noſtrum, quod ſuum eſt recuperet. Pari modo, ſi mihi ſeruiſti, poſtulat eadem, vt merces mea, tuum adæquet ſeruitium, & ſic de cæteris.

i Leg. minimè. l. ſi de interpretat. ff. de leg. Bertachi. in tract. de gabell. in princ.
k Domin. Sot de iuſt. & iur. lib 3. q. 1. Iſid. lib. 5. etymol. c. 2. Ariſt. ethic. 5 ff. de iuſt. & iur. l. 1. in princ.

De Iuris origine.

SECTIO II.

SVMMARIVM.

1 *Subſtantiarum ſpiritualium creatio.*
2 *Pulchritudo, & primatus Behemoth.*
3 *De eius ſuperbia, & punitione.*

4 *Quan-*

4 *Quando incepit Ius.*
5 *Cur homo creatus?*
6 *De lapſu hominis.*
7 *De Incarnatione Verbi.*
8 *Excellentia noua legis.*

CVM ſit cuiuſcumque rei, potiſſima pars origo, atque principium, quò, ad propoſitæ materiæ notionem, facile perducimur; vt Iuriſconſultorum præceptum, & ordinem ſeruemus [a], conueniens eſt, quod à iuris origine exordiamur. [a] Leg. 1. in princip. ff de orig. iur.

1 Omnipotens, † ſempiternusq; rerum creator, in viarum, vel operum principio, ſpirituales ſubſtantias condidit: vt ipſius immenſi creatoris, ſummam maieſtatem intuentes, omni laudum genere, eam, tot beneficiorum memores, ſemper extollerent: inter quas Behemoth,
2 † reliquis Angelis eminentiorem effeciſſe, Ezechiel & Iob [b], Dei vates, cecinere. Quem ſpecioſum factum, in multis, condenſisq; frondibus eſſe dicunt. Quia prælatum cæteris legionibus conſtitutum, tanta illum ſpecies pulchriorem reddidit, quanta ei ſuppoſita Angelorum multitudo decorauit. [b] Ezech. 31. Iob. 40.

Hinc, potentiam Primatus eius inſinuans Ezechiel propheta, poſt alia dicit [c], *Omnis lapis prætioſus operimentum tuum, Sardius, & Topazius, & Iaſpis, Chryſolitus, Onix, & Berillus, Saphirus,* [c] Ezech. 28.

&

& Carbunculus, & Smaragdus. Nouem dixit genera lapidum, quia nimirum, nouem ſunt ordines ſubſtantiarum ſpiritualium, *Angeli* (videlicet) *Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Cherubim, & Seraphim,* quibus Behemoth opertus fuiſſe deſcribitur [d]. quia eos, veluti eo inferiores, quaſi veſtem, ad ornamentum ſuum habuit. Quorum, dum charitatem tranſcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit, & ſic ſignaculum ſimilitudinis Dei dictus [e], ſapientia plenus, & decore perfectus. Qui in paradiſo Dei, tot, quaſi condenſas frondes habuit, quot, ſub ſe poſitas ſupernorum ſpirituum legiones attendit.
3 Quocirca † ſuperbiens, Deoq; aduerſari impudenter audens, ab illa cæleſti fœlicitate, cum cæteris ſuæ phalangis, pænè innumeris, priuatus, ad perpetuas luendas pænas ad barathrū immiſſus, & in æternum damnatus eſt; quia magnus fuerat creatus; ideoq. tanto magis obſequi tenebatur, & plus puniri debuit, cum non fuerit obſecutus, ſed tanto creatori, & optimo parenti ingratus, Grauius enim ex hoc fuit delictum [f], & ſic de Cælo in Tartara cum ſequacibus proſternitur. Ex qua ruina Angelorum,
4 † quo ad executionem IVS habuit initium [g]. Bonum enim, & æquum fuit, vt propter hanc ſuperbiam

Luci-

d S. Greg. l.32. moral. cap. 24. & refertur c. vlt. de pœnit. d. 2.

e Ezech. 28.

f cap. præcipuè. 11. q. 3. c. homo Chriſtianus, 40. d. de pœnit. d. 5. c. conſideret & 24. q. 3. c. qui peccat.

g Ex gloſſ. in verb. ſuperbiæ prædicti capitis vlt. de pœnit. d. 2.

Lucifer puniretur. Sexta autem † die, 5
facta fuitmira illa noſtri Prothoparen-
tis ,i,à Deo creatio ; è viliq; humo , ho
minis eductio [h], qui,libero præditus ar- h Geneſ.c.2.& 3.
bitrio,naturaliſq; iuris lumine, ab ipſo
Deo, naturæ auctore promanante, con-
decoratus,cunctis imperaret,præeſſetq;
rebus,& loco illorum damnatorum,hæ-
res Dei inſtitutus,cæleſtium bonorum
poſſeſſiones , æternamq. felicitatem aſ-
ſequeretur . Sed † cum inuidia,ac dolis 6
diaboli , per mulierem deceptam , per-
ſuaſus,præceptum Domini tranſgreſſus
fuiſſet,continuò,ſanctitatem,& iuſtitiã,
in qua cõſtitutus fuerat,amiſit : ratioq;
naturalis, adeò obſcurata & extenuata
fuit, vt vix igniculi remanerent,ex qui-
bus tam magnifica , diuini & naturalis
iuris bonitas,perſpiceretur . Quocirca,
diuinam in ſe, ſucceſſoribuſq; ſuis (in
quo omnes peccauere) concitauit in-
dignationem : & ita in omnes homines
mors pertranſijt , ac (vt Apoſtolus in-
quit [i]) facti ſunt immundi,& natura fi- i Paul.ad Rom.5. 1.Corinth.15. ad Epheſ.2.
lij iræ, ſeruiq; erant peccati, & ſub dia-
boli , mortiſq. poteſtate conſtituti , vt
non inde Gentes , per vim naturæ ; nec
Iudæi per legem Moyſi [k] , liberari poſ- k Rom.2. & 3.
ſent : ni cæleſtis pater miſericordiarũ ,
† Chriſtum filium ſuum propitiatorem 7
ad homines miſſerit [l], vt in eius ſangui- l 2.Corinth. 1.
ne redimerentur; ab ipſoq; nouiſsimam

gra-

gratiæ legem, & ſacramenta, humanæ ſaluti congrua, acciperent; quibus ad diuinam gratiam aſſequendam ducerentur. Itaque à Deo accepit homo naturale ius, quod inſculptum fuit mortaliũ mentibus clareſcente naturæ luce, in ſtatu innocentiæ; donec per protoplaſmi inobedientiam, & impoſturam Sathanæ, mentes hominum quotidie in deterius ruentes, & caligine obductæ, neceſſe habuere, vt in Decalogo, diuinum Ius ſcriptum traderetur. Et cum hoc non ſufficeret, vt cælorum fores aperirentur, Chriſtus Dominus noſter denique, vltimam ſalutarem legem [m], verũ
8 perfectumq; ius † attulit, ſacramenta inſtituit, occulta myſteria Trinitatis, & Incarnationis expoſuit, nouaq; documenta ſanxit, pro delenda lethali criminum labe, vitaq; immortale comparanda. Quibus omnibus (nedum reuerenter acceptis, ſed ab Apoſtolis, ac Petro eorum capite, Romaniſq. Pontificibus ſuis ſucceſſoribus, & à priſcis Patribus, inuiolabiliter obſeruatis) nouæ aliæ Conciliares, ac Pontificiæ Conſtitutiones, iuriſq; partes, pro vt temporum, locorum, & perſonarum conditio poſtulabat, additæ ſunt. Quarum infra, ſectione de iure Canonico agemus. De cæteris autem iuribus, ſuo vniuſcuiuſque loco, erit nobis habenda ratio.

m Galath. 4.

De Iuris Etymologia, ac diffinitione.

SECTIO III.

SVMMARIVM.

1 *An Ius, à Iuſtitia, vel ipſa, à Iure dicatur.*
2 *Iuſtitia, biſariam accipitur.*
3 *Ius, trifariam conſideratur.*
4 *Aliquando pro arte ſumitur.*
5 *Nonnunquam pro lege, aut regula.*
6 *Differentia inter Ius, quatenus ars, & Ius quatenus lex.*
7 *Quomodo intelligendus Iuris conſultus in diffinitione Iuris.*
8 *Qualiter ſub nomine IVS, ars, & lex coprehendantur.*
9 *Tertia Iuris acceptio, pro rerum equalitate, vel iuſtitia obiecto.*
10 *Alia iuris diffinitio adducitur.*

IVS, (nomen generale, [a] quod non magis adaptatur ad Ius Canonicum, quam Naturale, Gentium, & Ciuile,) an † à *Iuſtitia* dicatur, vel è con- 1
trario, *Iuſtitia*, à *Iure*, nonnulli dubitant; Vlpianus [b] affirmat, à *Iuſtitia* dici: Sumit tamen ipſum pro arte boni, & æqui. Accurſius [c] autem *Ius* à *Iuſtitia* deriuari ait, ſicut effectus, à ſua efficiente cauſa. Dominicus Soto [d] ſentit *Iuſtitiam*, à *Iure* eſſe dictam, vt *Ius*, idem ſit, quod *iuſtum* per apocopem,

a d. 1. c. 2. Iſid. l. 1. Etymol. c. 2. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu.

b Vlpia. l. 1. ff. de iuſt. & iur.

c Accurſ. in ead. lege.

d Sot. de iuſt. & iur. l. 3. q. 1. ar. 1.

ſicuti

ſicuti pro *poteſtus*, dicimus *potes*: rationemq. aſſignat, quoniam habitus, ſumit nomen ab obiecto, & non è contrario. Molina [e] vero, hoc vt plurimum non reputat verum, cum à *viſu*, dicatur obiectum *viſibile*, & à *ſcientia*, *ſcibile*: & non è contrario: & ſic tenet, *Iuſtitiam*, non dici à *Iure*, ſed potius, *Ius*, à *Iuſtitia*: Harum opinionum quam malueris deliges; ego tamen, in illam Dominici Soti propendeo. Sed nè hic immoremur, vlterius progrediamur,

2 notando † Iuſtitiam dupliciter accipi, vel generali nomine pro cuiuſq. virtutis actu, quatenus quilibet rectæ rationi, legiq; Dei ſeſe adæquat. Sic acceptam, Philoſophus appellat ipſam, *totam virtutem*: quæ non habet peculiare obiectum, ſed ſuum cuique virtuti eſt proprium; nempe id quod legitimum eſt: & in hac ſignificatione, ſumitur frequenter in Scriptura ſacra. [f] Secundo modo accipitur, vt eſt particularis virtus, vna quatuor Cardinalium: cuius officium eſt, iuſtum facere, in ordine ad alterum: in qua acceptione, obiectum eius; eſt *Iuſtum*, propriè ſumptum, pro *æquo*, quatenus eſt oppoſitum *iniquo*, quod iniuriam alteri inuoluit. Vnde [g] Ariſt. Iuſtitiam per habitudinem ad ſuum obiectum difiniens, *eſſe habitum* dixit; *quo Iuſtum volumus & operamur*. Cui

inhæ-

e Lud. Mol. de iuſt. & iur. tom. 1. tract. 1. diſput. 2.

f Matth. 5. Niſi abundauerit Iuſtitia veſtra, &c. Et c. 6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis &c. Apoſt. 1. ad Timot. 1. Iuſto, non èſt lex poſita.

g Ariſt. eth. 5. in princ.

inhærentes Iuriſconſulti, Iuſtitiam, per iuſtum diffiniunt *eſſe perpetuam voluntatem, Ius ſuum cuiq; tribuendi*. Et lex, ideo Iuſta dicitur, quia in rebus iuſtum conſtituit. Et ſic, illud Ius, quod eſt in rebus, vel illa rerum æqualitas, in quã tendit iuſtitiæ virtus, ſicuti viſus in colores, eſt obiectum iuſtitiæ [h].

Circa quod, † ne aliquis decipiatur, vt plurimos hoc in verbo deceptos inuenimus, perpendendum erit, IVS, trifariam accipi. Primo modo, pro *Arte*, *ipſa* [i] cognoſcendi, quid nam ſit Iuſtum: † quæ eſt in intellectu docente iuſtum operari, ſicuti ars fabrilis, in intellectu fabri. Hæc enim *Ars*, ſiue *Conceptus*, vt notat Ioannes Andreas [k], eſt in mente hominis iuſti, & æqui, habentis notitiam diuinarum, & humanarum rerum; Scientisq. diſcernere æquum, ab iniquo; iuſtum, ab iniuſto; licitum, ab illicito; ſicuti quilibet artifex; qui vult opus in eſſe producere, habet in mente conceptum, qui dicitur *Ars*, etiam ante productionem operis in actum. Et ſic quando Vlpianus [l] inquit. *Ius, à Iuſtitia dici*: non accipiendum eſt *Ius*, pro obiecto iuſtitiæ: quia tunc potius è conuerſo, *Iuſtitia*, diceretur à *Iure*, quã *Ius*, à *Iuſtitia*; cum more grammaticorum, longior dictio deriuetur à breuiori, & ſecundum Philoſophum, [m] *habitus*

h Prædict. vbi ſup. Iſid. Etym 5. c. 2. relatus d 1. can. Ius. facit etiã. 23. q. 2. c. 1. & dict. l. 1. ff. de iuſt. & iur.

3

i S. Thom. 2. 2 q. 57. ar. 1. ad 1.

4

k Ioan. Andr. in tr. de reg. Iur. in princ.

l Vlpian. l. 1. ff. de iuſt. & iur.

m Ariſtot. 2. de anima, text. 33.

tus ab obiecto ſortiatur ſpeciem: Sed ac-
cipiendum eſt ibi, pro *Arte & ſcientia*
de iure naturali iudicandi, quæ ex iuſti-
tia naſcitur, & non eſt *actus*, ſed *habitus*
intellectus, quoniã *actus* iudicium eſt,
habitus vero, non eſt iudicium, nec pro-
poſitio, ſed qualitas quædam, & virtus,
eliciendi iudicia: Nam Iuſtus, vt ait
philoſophus, [n] prudentia viget, ad rectè
de agendis iudicandum.

n Idem 6. ethic.

Secundo modo, † Ius, pro *lege*, aut
5 *regula*, accipi, & crebro vti, ſufficiat
Iuriſconſulti exemplum, dicentis, [o] *Ius*,
idem eſſe quod *lex*, per illa verba. *Ita-
que in ciuitate noſtra, aut iure, ideſt lege,
conſtituitur, &c.* Ad cuius intelligen-
tiam, mediatè notetur; quod à prædicto
iure, vel *arte*, licèt non deſcripta; poteſt
produci *lex*, quæ *eſt regula intellectus
practici*, [p] *per prudentiam conſtituta*; at-
que adeò ratio iuſti: hoc eſt; factiua, &
conſtitutiua iuſti; puta, *Fac*: *Ne facias.*
Quæ quidem, ſolum eſt in Republica,
vel in Principe, legis condendæ poteſta-
tem habente. Quocirca, cum Iſidorus
ait, [q] *legem eſſe iuris ſpeciem*, non acci-
pit *ſpeciem*, quaſi quid, generi directè
ſubiectum, vt eſt homo, animali: ſiqui-
dem ſubdit, *Ius eſſe id, quod iuſtum.* Sed
quia eſt regula, præceptioq; iuris, ſcri-
pta. Ius enim, † aliud eſt *naturale*, men-
6 ti noſtræ inditum, aliud vero *ſcriptum*.

o In l. 2. ff. de orig. Iur. §. itaque.

p Prędictus Sot. vb. ſup.

q Iſidor. l. 5. Etym. c. 2. & refertur c. 2. d. 1.

Vnde ex Iſidoro, [r] *Lex eſt conſtitutio ſcripta*. Hinc colliges differentiã inter *Ius*, ſeu artẽ boni & æqui, & inter *Legẽ*. Ars enim, non eſt regula, nec dictamen; ſed potius ſcientia moralis, æqualitatis, & iuſti inueſtigatrix. Lex autem, regula prudentiæ, vel dictamen practicum, inde conſtitutum.

Item, *Ars*, eſt habitus intellectus, *Lex* vero, eſt actus intellectus, & præceptio, vt *Ne iures, Ne occidas*.

Item, *Ars*, eſt in Iuriſconſultis, ad inueſtigandum, quid nam æquum ſit lege ſancire. *Lex* vero, eſt tantum in Republica, aut Principe, vim legislatoris habente [ſ]. Item Ius, quatenus *Ars*, ad non ſcripta pertinet: *Lex* vero, ad Ius ſcriptũ. Ex quibus † etiã habes intellectũ 7
verborũ Celſi dicẽtis [t], IVS EST ARS BONI ET ÆQVI, ſcilicet ars, qua docemur obſeruare bonum & æquum, id eſt vtilitatem, & æquitatem, ſeu veritatem. Vbi ſtatim ſubdit, *Cuius merito quis nos ſacerdotes appellat*; ideſt, ſua iura cuilibet miniſtrantes. Non quidem in hac diffinitione, Ius, pro *ſcripto* accipitur, ſed pro *naturali*: & ſic *Ars boni, & æqui*, ideſt, [u] ars inueſtigandi æquitatem; tuendiq; naturale ius, vbi ſcriptum apparet iniquum: quia ex Inſtitutionibus [x] conſtat, *Prætoris edicto, legis iniquitatem emendatam eſſe*.

r Habetur in c.3.d.1.

ſ D.Tho.2.2.q.58, art. 5. & 6.

t L.1.& 10.ff.de iuſt.& iur,& Inſtit.1. in princ. §.1.eod.tit.

u Ex Soto de Iuſt. & iur.l.3.q.1.ar.1.ad 3.

x Inſtit. de ſucceſſ. liber: §.1.

y ff. quod quiſque iuris in alienum ſtatuit &c. l. ſi quiſquis.

z D. Thom. 2.2. q. 57. art. 1. ad 1.

& alibi: [y] *Ius iniquum impetranti, eodem iure vti debere*. Huic diffinitioni conſonat illa D. Thom. [z] *Ius eſt ars, quà cognoſcitur quid ſit iuſtum*.

8 Illa vero, † diffinitio, *Ius eſt præceptum ſeu ordinatio principis, aut domini circa ſubditos: &c.* ad *Legem* pertinet, non vero ad *Ius in commune*; quia ſub nomine *IVS*, Ars, [a] & Lex, [b] comprehenduntur. Nam ſicuti nomen *Medicina*, ſignificat medicamentum, ad ſalutem applicandum, & etiam ipſam medicinandi artem, ſic nomen IVS, ſignificat artem cognoſcendi quid ſit iuſtum, & etiam legem.

a L. 1. ff. de iuſt. & iure.

b L. 2. ff. de orig. iur. §. itaque.

9 Tertio modo, † vt iam diximus, accipitur *Ius*, pro vt eſt in rebus, videlicet, pro ipſa rerum æqualitate, [c] in quam Iuſtitia tendit, ſicuti viſus in colores, & & ſic *Ius*, eſt iuſtitiæ obiectum. Quo fit, vt cum dicimus, *Ius alicui reddi*, non aliter accipiatur, quam vt eſt obiectum Iuſtitiæ.

c S. Thom. 2. 2. q. 57. ar. 1. & Sot. vb. ſup. in proemio l. 3. quæſt. 1. Ludouicus Molin. de iuſt. & iur. to. 1. tr. 1. diſput. 2.

10 Demum, † non omittenda eſt illa iuris diffinitio, (prout Ius eſt quaſi menſura iniuriæ) quam affert Molina, [d] videlicet, *Ius eſt facultas, aliquid faciendi, ſiue obtinendi, aut in eo inſiſtendi, vel quolibet modo ſe habendi, cui ſi abſque legitima cauſa contraueniatur; iniuria fit, eam habenti*. Ipſam explicat argutè, quapropter, hic non exponitur, ac etiam

d Ludou. Mol. vbi ſupr. tract. 2. diſp. 1.

ne.

ne breuitatis inſtitutum tranſgrediamur, ipſum cōſule, & Lexicographos [e] in vocabulis, à voce Ius compoſitis, & deriuatis, vt *Iudex*, *Iudicium Iuriſdictio*, *Iuridicus*, *Iuriſconſultus*, *Iuriſprudentia*, & alijs, de quibus hic ſpeciatim agere perlongum foret.

e Albericus Roſatius, B. Briſſonius, I. Spiegelius, F. Hotomanus, I. Oldendorpius, Pardulphus Prateius, Antonius Nebriſenſis.

De Iuris diuiſione.

SECTIO IV.

SVMMARIVM.

1 *Inferiora, à ſuperioribus gubernantur.*
2 *A Iure ſempiterno cuncta proueniunt iura.*
3 *Communis diuiſio Iuris, eycitur.*
4 *Alia dilucidior conſtituitur.*
5 *Primum diuiſionis membrum exponitur.*
6 *Conſequenter ſubdiuiditur, & declaratur.*
7 *Rurſus, poſitiuum diuinum bipartitur.*
8 *De ſecundo principale diuiſionis membro agitur.*

EA eſt, in natura cauſarum, ſic ordinata diſpoſitio, vt inferiora, † à 1
ſuperioribus moueri, ac moderari neceſſe ſit. Vnumq; omnium primum eſſe motorem, à quo inferiores reliqui dependeant; &, Aſtrologi experiuntur, &, Philoſophus [a] tenet. Neutiquam quidem, reliqui mouere valerent, ſi primi motoris, perpetuus ſiſteret motus. Indeq; inter artes, Imperatrix dicitur illa,

a Ariſt. 8. Phiſic.

quæ maximè eſt Architectonica.[b] In Iu-
2 ribus etiam,† quibus hæc mundi machina gubernatur, hunc ordinem meditandum, fatendumq; fore, vnumq; ſupremum eſſe Ius, cæterorum caput, & initium, quod,cum abſque principio,& fine, & immutabile ſit, ſempiternum appellabitur, à quo, tanquam à fonte, reliqua omnia deriuantur iura; neminem latere iudico. Quamuis Iſidorus, nec Iuriſconſultus, de eo mentionem fecerint,quod,cum in Deo exiſtat,deliberatè Theologis tractandum prætermiſiſſe exiſtimo; vel ſub naturali iure, tanquam à Deo, naturæ auctore prouenientè, implicitè compræhendi iudicarunt. Haud enim credibile eſt,quod iurium caput & origo, eos præterierit.
3 Diuidunt † quidem *IVS*, in *Naturale*, *Gentium*, *&* *Ciuile*.[c] Quam ſequitur diuiſionem, vniuerſa ferè Iuriſtarum ſchola. Sed non artificioſè, immò ſatis permixtè ſe gerunt. Primo, quia naturæ limites non excedunt: ſilentioq; inuoluunt diuinum poſitiuum Ius,nedum Canonicum, à miniſtris Eccleſiæ, ad finem ſupernaturalem conſtitutum; verum etiam illud, à Deo, in lege veteri, & noua conditum. Secundo,quia abuſiuè (vt ſectione *6.* dicemus) accipiunt Ius naturale, pro Iure, hominibus cum brutis commune, vt *coniunctio maſcu-*

b Idem 1.Ethicor.

c Iſid.l.5.etym. c.5. vt refertur in c.2.d.1.& l.1.& ſeq.Inſt.de iur.nat.gent.& ciu.

lorum fœminis, filiorum procreatio, & ſi-
milia. Tertio, quia plurima, quæ de
iure naturali ſunt, vt *Religio erga Deũ:*
Parentibus, & patria obſequium: Violen-
tiæ, & iniuriarũ repulſio, compræhendũt
ſub Iure Gentium, vt ipſe Iuſtinianus [d]
fatetur; ex eorumq; exemplis liquido
conſtat: quorum, vt Couarrubias ad-
notat,[e] non habenda eſt ratio, nec pro-
inde, huic innitemur diuiſioni. Ludo-
uicus Mol[illegible], Ius in *Naturale & poſi-*
tiuum diuidit [f]. Deinde poſitiuum; in
diuinum; & humanum: rurſus huma-
num, in *ius Gentium, Ciuile, & Canoni-*
cum. Ego tamen †, clarioris diſtinctio- 4
nis gratia, cum aliquibus Theologis [g],
hoc genus Ius, (pro ipſa *lege*, vel pro
legis *obiecto* ſumptum, quod parum re-
fert, cum promiſcuè à Doctoribus acci-
piatur,) in duas quòad primum ſpecies
diuidendum cenſui: *Diuinum* ſcilicet,
& humanum.

Diuinum ſubdiuidendo, in *Sempi-*
ternum, Naturale, & Poſitiuum: Et rur-
ſus, poſitiuum hoc, in *poſitiuum à Deo,*
& *poſitiuum ab homine*; licèt hoc, largo
modo dicatur diuinum. Pariterq. hu-
manum, [h] in *naturale, & poſitiuum*. De-
inde, poſitiuum humanum, in *Ius Gen-*
tium, & Ciuile.

Cum enim, † duo ſint duntaxat, re- 5
rum omnium Legumlatores, Deus ſci-

d Iuſtin. §, ſingulorum, Inſtit. de rerum diuiſ. affirmat, in diuiſione Iuris à ſe facta, tit. de iur. natu, gent. & ciu. ſub iure gentium comprehédiſſe ea, quæ ſunt iuris naturalis.

e Couar. in reg. peccatum. p. 2. §. 11. n. 4. & 5.

f Ludo. Mol. de iuſt. & iur. to. 1. tr. 1. diſput. 3.

g D. Tho. 1. 2. q. 95. ar. 4. Sot. de iuſt. & iur. l. 1. q. 5. art. 4. & lib. 3. q. 1. art. 2. Alexander de Ales, p. 3. q. 27. membr. 4. art. 1.

h Ariſt. 5. Ethic. c. 7.

licèt, & homo; à quibus omnia proueniunt Iura; à Deo, *diuina* nuncupata; ab homine, *humana*: merito quidem, primum noſtræ diuiſionis membrum bipartimur in *Diuinum & Humanũ:* &
6 conſequenter ſubdiuidimus †Diuinum; in *Sempiternum, Naturale, & Poſitiuum.*

Sempiternum, quod eſt, illa ſempiterna ratio, rerum creandarũ Sapientia, gubernandarumq; ars, exemplar, & regula in Deo exiſtens, qua vniuerſum mundum regit. *Naturale diuinum*, quod continet præcepta Decalogi, quæ quantum ad radicem, de *iure naturæ* cenſentur; quia principijs naturalis iuris proxima ſunt; quantum vero ad explicationem, & poſitionem, de *iure diuino*, tùm antiquo, tùm Euangelico. Digito quidem Dei, propter naturæ, & morum corruptelam, humanarumq; mentium caliginem, præcepta illa, in tabulis exarata ſunt, vt nulli per ignorantiam ſe valerēt excuſare[i]: indeq; nomen obtinuerunt Diuini Iuris, non quod ſupra naturam ſint, ſed quia Deo auctore expoſita.

i Auguſt. de grat. & liber. aibitr.

7 *Poſitiuum diuinum* †, eſt ſicuti poſitiuum humanum, quod priuſquam conſtitueretur, non neceſſario referebat, an ſic, an aliter ſe haberet: ſed à Conſtitutione, legislatorisq; auctoritate, vim obtinet[k]. Bipartitur etiam, in *Poſiti-*

k Ariſt. 5. ethic. c. 7.

uum

uum à Deo, & Poſitiuum ab homine. *Poſitiuum à Deo*, ſic dictum, quia ab ipſo Deo optimo, maximo, per Moyſen in lege veteri, aut ab ipſo Incarnato Verbo, in lege noua, miniſterio etiam Apoſtolorum, conſtitutum, de ijs, quæ non ad naturale Ius, ſed potius ad diuinum cultum, hominumq; ſanctificationem, ſpectant; vt determinatio cæremoniarum, & ſacrificiorum in lege veteri, & ſacrificij Miſſæ, cæterorumq; Sacramentorum in noua lege.

Diuinum poſitiuum ab homine, eſt Ius, per Eccleſiam, vel eius ſummos miniſtros latum, accepta ad hoc à Deo poteſtate: & *Diuinum* dicitur quia in diuinum cultum, & ſupernaturalem fœlicitatem tendit; ac etiam, quia à ſacris miniſtris, & ad diuina mancipatis, vt ab Apoſtolis, (quatenus Eccleſiæ Paſtores, & rectores, [1]) à ſanctis Conciliorum Patribus, & à ſummis Pontificibus, ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, traditum, approbatumvè eſt: quibus, ad illud cõſtituendum, illuminatio Spiritus ſancti ſemper aſiſtit: & communiter hoc Ius, *Canonicum* nuncupatur, vel *Pontificium*.

Vbi notandum, particulares miniſtrorum Eccleſiaſticorum conſtitutiones, non ſtrictè, & propriè, cum Iure Canonico fore annumerandæ, cum non ſint vniuerſales, neque omnes obligent, ſed

1 Videlicet præcepta de ieiunio quadrageſimæ; de obſeruatione Diei Dominicæ, de bigamo non ordinando, de quo 1. ad Timot. 3. & ſimilia.

Diœceſanos, & ſubditos duntaxat .

8 Secundum † principale noſtræ diuiſionis membrum , eſt *Ius humanum* , quod naturæ limites non tranſcendit;& ſimiliter bifariam diuiditur,in Naturale,& Poſitiuum . *Naturale*, quod , prouenit à natura id docente : vnde Apoſtolus [m] . *Gentes quæ legem non habent , naturaliter,quæ legis ſunt, faciunt* . *Poſitiuum autē humanum*, eſt,quod humano iudicio,& arbitramento conſtituitur,ac in *Ius Gentium & Ciuile* ſubdiuiditur ; *Ius gentium*, quod à principijs naturalibus, per diſcurſum rationis elicitum, apud omnes gentes, (abſque hominum, ad hoc in vnum conuentu) peræquè cuſtoditur . *Ciuile* vero,ab vnaquaq; ciuitate,aut Republica; arbitratu hominū, in vnum concilium coeuntium,diuina humanaq; cauſa, ſibi conſtitutum eſt [n].

m Apoſt.ad Rom.2.

n Iſid.l.5.etym.c.2.relatus diſt.1.

De quibus omnibus , ſequentia ex plurimorum doctrina,pro tyronum inſtitutione,ſummatim deligenda curauimus .

Deus optimus maximus,conatibus aſpiret noſtris , ad ſuam ipſius gloriam .

*

De Iure ſempiterno.

SECTIO V.

SVMMARIVM.

1 *Duo eſſe rerum omnium gubernatores.*
2 *In Deo quoddam Ius exiſtere, neceſſarium eſſe.*
3 *Cur hoc ius ſempiternum appelletur.*
4 *Quid priſci Philoſophi de hoc iure dixerint.*
5 *Quod ab eo cuncta proueniunt Iura.*
6 *Huius iuris diffinitio.*
7 *Qualiter irrationales creaturæ ſunt huius iuris participes.*
8 *Qualiter rationales participes etiam ſint.*
9 *Quibus principijs conſtet naturale ius.*
10 *Vnde promanarit hominibus, facultas ferendarum legum.*
11 *Cur hominibus diuinum Ius, vetus, & nouum, datum fuerit.*
12 *Cur ciuile ius, aliqua à diuino prohibita, permittit.*

CVM duo ſint rerum omnium Nomothete, ac Gubernatores, † *Deus* ſcilicet, *& Homo.* DEVS, qui Archetypus, ſupremusq; omnium eſt auctor, ac vniuerſorum, ſummus moderator; HOMO vero, Dei miniſter, à diuina auctoritate inſtitutus; neceſſe eſt, quod in Deo, tam quam omnium auctore, ac gubernatore, exiſtat quoddam Ius, † à quo cætera dependeant, ac promanent, quod ſit eorum principium. Nam ſicuti in artifice (vt ſanctus Thomas [a] demonſtrat) neceſſarium eſt, rationem ordinis rerum faciendarum præformari, quæ ars, ſeu

Marginal: 1 (beside "thete, ac Gubernatores"); 2 (beside "exiſtat quoddam Ius")

[a] S. Thom. 2.2.q.93.

exem-

exemplar ſit: & in gubernatore rationem quoque præexiſtere, earũ quæ agenda ſunt; quæ ſit veluti omnium regula, & norma: Sic in Deo rerum omnium creandarum, faciendarumq; ſapientiã, ſimulq; omnium etiam gubernandarum artem, & regulam extare, neceſſe eſt: quam Philoſophus, [b] primam omnium cauſarum cauſam, appellauit.

b Ariſtot. 12. metaphyſ. text. 24.

Nos vero, cũ omnia, iuribus moderanda iudicemus, hanc artem in Deo exiſtentem, vniuerſorum gubernatricem, nuncupamus IVS. Et cum Dei ſubſtantia & natura, *ſempiterna* (aut *æterna* ꝙ idẽ eſt) ſit & dici debeat,[c], † ſic quicquid attributorum in eo exiſtit; *ſempiternum* eſſe debet, quamobrem hoc Ius, *ſempiternum* dicimus, nec principium habens, nec finem habiturum: & ex conſequẽti, à nullo, nec à ſeipſo deriuatum;

c Ex communi Theologorũ doctrina, qui promiſcue vtuntur vocabulis *Sempiternum & Aeternum*, conſtat grãmaticos erraſſe, differentiã in hoc conſtituentes.

3 quia pugnaret ſecum hæc aſſertio, & nõ abſque principio dici poſſet, ſi ab alio, aut à ſeipſo originem duxiſſet. De hoc iure, illud Sapient.[d] habetur. *Quando præparabat cælos aderam*, &c. & illud. *Quando legem ponebat aquis, cum eo eram cuncta componens*. Iuxta quod, poſt innumera ſanctorum Patrum, ac Prudentum dogmata, Aethnicorum etiam vates;

d Prouerb. 8.

4 † qui pro ſapientibus ab antiquis habiti ſunt, præſertim Plato, atque Pythagoras, hoc Ius (vt ſcriptum [e] compe

e Plato in lib. 1. de Leg. & in lib. Protha goræ.

rimus)

imus) ſacroſanctum appellarunt, non
ıominum ingenio excogitatum, neque
liquod populorum Scitum, ſed æternũ
uiddam, vniuerſitatem gubernans.
Quorum verba, in hunc ſenſum, Cicero
x Græco in Latinum tranſtulit, dum de
oc iure, dixit [f], *eſſe æternum quoddam,
uod vniuerſum mundum regit, imperan-
i, prohibendiq; ſapientiam*.

f Cic.lib.2.de Leg.

5 Ab hoc iure, † omnia in vniuerſum
præter ipſummet [g]) iura, ratione qua
uſti quidpiam continent, prouenire,
ixit Sapiens: [h] *Per me Reges regnant,
conditores legum iuſta decernunt*. Si-
uti enim primus orbium motor, immo-
ilis perſiſtens, cauſa eſt motuum ſub ſe
ongè differentium. Sic Sempiternũ Ius,
ulla ratione mutabile, nec vlli varieta-
ſubiectum, immotum permanens, cau
eſt, vt mortalium iura, eorum varia-
ili conditione mutata, permutentur.
pſum enim vniforme, vt ait Dominicus
oto [i], *ac maxime vnum, iuſſit, vt natura
ntegra, omnia eſſent communia; corrupta
ero, inter diuerſos dominos diſtribueren-
ur*. Eſt quidem creaturarum vniuerſi-
s, huic Sempiterno Iuri ſubiecta, iuxta
lud: [k] *Domine, Rex omnipotens, in ditio-
tua, cuncta ſunt poſita, & non eſt qui
oſſit tuæ reſiſtere voluntati*. Nam hoc
empiternũ Ius, † *nihil aliud eſt* [l], *quam
mpiterna ratio, in Deo exiſtens, quà vni-*

g Ipſum excipimus, vt non videamur dicere, quòd à ſeipſo deſcẽdit.
h Prouerb.8.
i Domin.Soto de iuſt.& iure l.1.q.3.ar.3.
k Heſter 13.
6
l Diffin. Iuris Sẽpiterni.

uerſum

uerſum regit mundum, cunctaq; ſic ſuauiter diſponit, quod nedum Angelicis creaturis, ſimiliterq; rationalibus, Ius, ac regulas, quibus in ſuum finem ſe mouerent, mente impreſſit, verum etiam
7 † toti rerum vniuerſitati, inſtinctus indidit, & ſtimulos; quibus, in ſuos ſingulorum fines agerentur, vt, hirundinibus, ad ſtructionem nidulorum; formicis, ad quærendum victum; apibus ad mellificium; terræ ad ferendas fruges; arboribus, ad fructificandum; & pariter reliquis, ſuas virtutes agendi. Sed cum hæ irrationales creaturæ, non agant per cognitionem finis, ſe in ipſum neutiquam mouent, ſed per impetum, & inſtinctum appulſæ, mouentur ab illo. Hominibus
8 vero, † naturale Ius, ac lumen menti impreſſit, vt Regius cecinit vates [m]: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, per quod, eius Sempiternum participarent, & ſecundum rationem illis connaturalem, actiones ſuas ad finem debitum dirigerent. Nam vt Statius cecinit [n].

Forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet.

9 ¶ Hæc naturalis norma, & lumẽ, † mentibus hominum impreſſum, & à Sempiterno iure (in Deo naturæ auctore exiſtente) promanans, eſt dictum ius naturale, ijs conſtans principijs, quæ abſque

m Pſal. 4.

n Stat. in Theb.

ratio-

ratiocinatione & diſcurſu, lumine tan-
tũ naturali, per ſe nota ſunt, vt *Quod tibi*
vis fieri, [o] *alijs facito, & ſimilia.* Hinc fit,
quod pręcepta naturalia, quia à Sempi-
terno efluxerunt iure, obligent taliter,
quod eorum tranſgreſſio, nedum mala
ſit, vti claudicatio eſt malum naturale,
ſed vera culpa, vt argutè aduertit Soto[p].
¶ Proceſſit etiam hominibus † à Sempi
terno Iure, facultas conſtituendi iuxta 10
naturale Ius, quælibet iura, & leges, pro
locorum, ac temporum qualitate neceſ-
ſarias; ratiocinatione mediante. Indeq;
homines hac vſi facultate, iura, & leges
nſtituere, pro conſeruatione pacis, Re-
umpublicarum vnione, ac flagitijs co-
rcendis; quæ ab ipſis nomen obtinent,
Gentiumq; vel Humanæ nuncupantur.
ed, cum nedum habitatores huius ſe-
uli ſimus, † nec ad hunc naturalem fi- 1
em (nempe Reipublicæ conſeruatio-
em, ſtatumq; quietum) ſolummodo
onditi; verumetiam ad Cæleſtem pa-
riam, immortalemq; requiem creati;
miſericordiarum pater, bonorũ immen
us largitor, nobis inſuper Diuinum im-
oſuit ius, tam vetus, quam nouum, quò
d ſupernaturalem fęlicitatem perduca
mur. Quæ omnia Iura (quibus Cano-
ica etiam, & Cæſarea comprehendun-
ur) à Sempiterno, vt conſtat deriuan-
ur. Nec obſtat quod in Ciuili, multa, vt

[o] Cap.6.in princip. Decreti.

[p] Præallegatus Soto de iuſt. & iur.l.1.q.4.ar.2. ad 3.

q D.Aug.lib.1.de iibero aibitriu.

Auguſtinus ait [q], permittantur , † quæ à Diuino prohibentur,vt meretrices , &
12 mendacia : quia ſi horũ permiſſio fuiſſet approbando vt bona , neutiquam à Iure Sempiterno deſcenderet.Sed quando impunè,malum,quod punire nequit, permittit, rectè ac prudenter agit, dum non conatur ad id, quod perficere non valet : & ſic à Sempiterno deriuatur iure,quanquã eum perfectè non adæquet, quia debilius eſt. Vnde Horatius, regulam iuſti, & iniuſti , ab imperfecta, & imbecilla natura tradi non poſſe, his verſibus [r] ſignificat.

r Horar.Satyr.3.l.1.

Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquũ;
Diuidat vt bona diuerſis,fugienda petẽdis.

Sequitur ergo,vt à Sempiterno iure , quod perfectum, & abſolutum eſt , omnia deſcendant Iura;quibus præceptiones ſuum cuique tribuendi; & iuſti, atque iniuſti regulæ,impartiuntur .

De Iure naturali .

SECTIO VI.

SVMMARIVM.

1 *Naturale ius quid ſit , & quid operetur .*
2 *Homo quadrifariam conſideratur.*
3 *De duplici natura hominis, eiuſq; rationali operatione .*
4 *Abuſus Iuriſconſultorum circa vocabulum Ius ,*

ratio-

rationibus, & auctoritatibus probatur.
Concluditur, in brutis Ius non dari.
Iuris naturalis variæ diffinitiones traduntur.
Duæ primæ particulæ diffinitionis declarantur.
De immutabilitate naturalis Iuris, & differentia inter ipſum, & poſitiuum.
Vnde proueniat illa mutatio, quę in iure naturali videtur fieri.
Arctius hoc explicatur exemplis.
Cur diuinum Ius, in ſcriptis traditum fuerit.
Qualiter quædam variari aliquo modo patiantur.
De cauſa efficienti huius iuris, ſcilicet natura.
De cauſa materiali, & de abuſu Iuriſconſultorum, in Verbo docere, *& quomodo ſunt intelligendi.*
De cauſa finali, ac deceptione hominum, ſub apparitione boni.

NATVRALE Ius, vt nomen auribus intonat, lumen eſt, † à Deo, natu- I
e auctore, mentibus noſtris inſculptũ,
: impreſſum, per quod eius Sempiter-
um Ius participantes, omnes actiones
oſtras, rationis ductu, ad debitum finẽ
irigamus. *Signatum eſt ſuper nos*, dixit
ſalmiſta Regius, [a] *lumen vultus tui* a Pſal.4.
omine, ideſt, lumen tuæ ſapientiæ, &
cies rationis, per quam à cæteris ani-
antibus differamus. Cum enim nihilo
agis indigeret homo, quam regulis,
:que principijs rectè viuendi; & nemo
:æter Deum hæc dare poſſet, diuina
uadam prouidentia, Iura naturalia,
corde, & mente hominis, (veluti in
uis tabulis, ad imaginem Dei crea-
s) fuere conſtituta; ibi ſemper firma,

atque

atque immutabilia permanſura.

Vt autem ſtirpitus, Iuris naturalis principia comminuamus, quadrifa-
2 riam † hominem (more Philoſophico) conſiderare oportet; videlicet, quatenus ENS, VIVENS, ANIMAL, & HOMO, ſecundum quos naturæ gradus, peculiaria habet præcepta. Vtitur enim, quatenus ENS, illo præcepto, omnium generaliſſimo, vniuerſis Mundi entibus commune[b], in quo cætera, tanquam in primum principium reſoluuntur; puta, *Bonum expetendum eſt, malum expellendum*; quia naturalium bonorum caput & initium, eſt *Eſſe*, cum ex aduerſo, *Non eſſe*, totalem dicat priuationem, malorum ſummitatem. Inde conſequẽter quatenus *VIVENS*, aliud habet principium, nempe, *Indiuiduum*, vel *Eſſe proprium, conſeruandum eſt*, quo circa cuncti viuentes, natura duce, ſuam appetunt conſeruationem; quam vnicuiq; bonum eſſe dubitari nequit: contrarijſque, tanquam eis malum, quoad valent, obſiſtunt. Quatenus ANIMAL, præceptum habet naturale, conſeruandi ſpeciem, per commixtionem maſculorum fœminis, & generationis actum. Qui conſeruandi modus, animalibus tantum exiſtit peculiaris: nam etſi in aliquibus arboribus, & herbis,[c] maſculina, & fœminea appareat imago,

b ex Ariſt. 4. metaphyſ. textu 9.

c Plin: l. 12. c. 14. & lib. 15. c. 30.

rera tamen maſculorum ſeminatio, in animalibus duntaxat agnoſcitur.

Demum progreditur quatenus HOMO, rationis præditus, cui innixus, naturalem ad virtutis bonum, habet inclinationem, & ad cognoſcendum venerandumq; Deum. Hinc ei conuenit appetere ſocietatem, & ciuilitatem, vnde illud:

Quod tibi vis fieri, mihi fac, quod non tibi, noli,
Sic potes in terris viuere, Iure poli.

Conſtat ex his †, duplicem in homine naturam dari, vnam genericam cunctis animalibus communem, quæ eſt, per cõmixtionem maris, & fœminæ, ſpeciem propagare [d]. Alteram, homini propriã, ab anima rationali prouenientem. Sed aduertendum venit, quod naturalis hominis propenſio, aliter in ſuum finem, & operationem tendit, quam irrationalium inſtinctus, quibus hi, forinſecus aguntur; homo vero, rationis ductu, per cognitionem finis, liberè mouetur in ipſum; & ex bono vero, aut apparente, poterit, quod maluerit, ſub ratione boni concupiſcere. Cum enim forma, à qua res ſpeciem ſortitur, tribuat ei naturalem inclinationem, fit, vt ſicut grauium natura, eſt ſecundum ſuam formam, deorſum tendere, leuium vero ſurſum aſcendere: ſic natura hominis,

3

d C. Ius naturale. d. 1.

cuius forma eſt anima rationalis, ſit, ſecundum rationem agere, & viuere. Vnde ſequitur, quod etiam in illis rebus, in quibus homo conuenit cum brutis, operatur ſecundum rationem. *Commune eſt quidem*, (inquit Reuſnerus [e]) *hoc ius natura hominibus cum beſtijs; ſed in hominibus tantum cum ratione coniunctum*. Quod Soto [f] claridius expoſuit, dum dixit. Inclinationes naturæ, quæ homini competunt, in quantum ſenſibili animali, ad legem attinere fomitis, hoc eſt appetitus ſenſitiui, originali iuſtitia deſtituti. Si autem conſiderentur, quatenus hominis ſunt propriè, tũc legi naturæ ſubduntur; puta rationi, cæterarum potentiarum moderatrici; quæ cunctos affectus debet intra ſuas lineas continere. Hinc Perſius [g].

Stat cõtra ratio, & ſecretã gannit in aurẽ,
Ne liceat facere id, ꝙ quis vitiabit agẽdo.

4 Valde igitur † Vlpianus & Iuſtinianus [h] (quos non paruus Iuriſtarum ſequitur numerus) abutuntur vocabulo Iuris, cum dicunt. *Ius naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit.* Subdẽtes, *nam Ius iſtud, nõ ſolũ humani generis propriũ, ſed omniũ animaliũ; quæ in terra, quæ in cælo, quæ in mari naſcuntur.* Non quidẽ poteſt in brutis Ius conſtitui, ſiue accipiatur pro *Arte*, ſiue pro *Lege*, ſiue pro *Obiecto Iuſtitiæ*, vt ſup. ſect. 3. dictum

e Nicol. Reuſner. in paratitlis ad Brachylogos Iuris ciuilis, l. 1. c. 2.

f Domin. Soto de iuſt. & iur. l. 1. q. 4. ar. 2.

g Perſius Satyr. 5.

h Vlp. L. 1. ff. de iuſt. & iur. Iuſtin. Inſt. de iure nat. gent. & ciu.

eſt, *Quia* pro *Arte* acceptum, eſt habitus intellectus, [i] brutorum naturæ diſconueniens;niſi eis intellectum tribuere velis. Pro *Lege* acceptum; aut conſideratur tanquã in regulante, ideſt mouente, vel tanquam in regulato, ideſt moto: & ad vtrumq; iſtorum, neceſſaria eſt ratio: quà deficiente,nec mouẽs, regulare poterit, nec motus, regulatis parere. Si pro *Obiecto Iuſtitiæ* accipias, audi Theologorum ſcholam [k] dicentẽ, quod ex iure,iuſtitiæ obiecto,&,iuſtitia, rationem habet virtutis,&, lex,rationẽ regulæ. Quibus adiungitur, quod ius, & natura, ſemper ſecum afferunt honeſtum, quod negari nequit, vnde Cicero expoſiturus, quid ſit ſecundum Ius, & honeſtè viuere: illud nihil aliud eſſe,ait, [l] niſi *Naturæ conuenienter viuere.* Non quidem conſentaneum Iuri naturæ eſſe poteſt,quod non ſit honeſtum,nec honeſtum aliquid, quod cũ natura pugnet,vt FitzHerbertus probat:[m] & cum *honeſtũ*, Virtutem, probitatemq; ſignificet, vt ex Quintiliano accepimus,dicente. [n] *Iuſtum, pium, religioſum, cæteraq; his ſimilia, honeſto complectimur*, vnde *Inhoneſtus*, ideſt, *turpis*, *& honoris expers*, indeq; Bartolus, [o] honeſtum interpretetur eſſe illud, quod ab honeſtis perſonis geritur, & ſic *honeſtæ* intelligantur, *matres familiæ*, [p] vel, *matronæ*, *nunquam*

i Theologi, & Ioann. Andr. tract. de reg. iur. in princ.

k S.Thom.2.2.q.57.vbi Doctores.

l Cic. de Fin. l.4. & de Offic. l.3.

m Thom. Fitzherbertus de infelicitate Principis Macchiauellani, cap.1.

n Quint.l.2.cap.4.

o Bart.in L.1. C.de dignit.l.12.

p L.41. ff. de ritu nupt. l.1.§. & notandũ. ff. de ventre inſpiciendo cuſtod.partu.

commaculatæ, & honeſtum, eo quod licitum antecellit, ab ipſo diſtinguatur, [q] (nam non omne quod licet, eſt honeſtum, [r]) conſequens eſt, quod *honeſtũ*, ſub ratione cadat. Et cum bruta careãt ratione; vnde irrationalia appellantur, nullaq; honeſtatis formula prædita ſint, nihil iuris habere queunt. Nam Ius (vt Accurſ. *in l. 1. ff. de iuſt. & iur.* notat) à Iuſtitia dicitur, quia iuſtum eſt, & rationabile, & *ſolùm homo*, Vt Cicero inquit, [ſ] *ex tot animantium generibus, atque naturis, eſt particeps rationis, & cogitationis, cum cætera ſint omnia expertia.* Huc accedit, quod ſacri canones dicunt, [t] *Ius naturale eſſe commune omnium nationum*, non vero dixere, *omniũ animalium*; & Ioannes Andreas, [u] hominibus tantum naturale Ius tribuit, cum ipſum diffinit dicens, quod *eſt lex tacita in corde hominis, diuinitus, & naturaliter*

5 *ſcripta* † In eandem incidit ſententiam præallegatus Reusnerus dicens, [x] *In bruta Ius non cadit, ſicut nec iniuria:* quoniam Ius, à ratione, quà bruta carent, vel potius vt Cicero vult, à natura hominis ortum habet. Eſt quidem Ius, menſura iniuriæ; indeq; Ludouicus Molina, [y] de irrationalibus agens, dixit. *Cum enim eiuſmodi res, eo ipſo quod libero arbitrio præditæ non ſint, iniuriæ non ſint capaces, ſanè vt in eo quod earum fa-*

q L. 1. ff. de iuſt. & iur. l. 42. ff. de ritu nupt.

r L. 144. ff. de reg. iur.

ſ Cicero l. 1. de Leg.

t In c. Ius naturale. 1. d.

u Ioann. Andr. de reg. Iur. in reg. poſſeſſ. n. 28.

x Nicol. Reuſner. vbi ſup.

y Ludou. Moli. de iuſt. tom. 1. tr. 2. diſp. 1.

cultatibus, quacunq; ratione contraueniatur, nulla eis ſit iniuria, ſic nec facultates illæ, iuris rationem habent. Vnde Paulus Iuriſconſultus, & etiam alibi idem Vlpianus [z], longe aliter ſentiunt de iure naturali.

Nulla denique in brutis ratio eſt, & ſic nullum Ius, alioqui ſi brutis legem, aut Ius tribuas, neceſſario tribuitur ratio, & per conſequens (vt Prateius ait [a]) ex brutis homines, ex hominibus bruta facies. Nec hoc Doctores noſtri dijúdicant, cum diſtingunt inter Ius naturale primarium, & ſecundarium; volentes vtique, vt aliquod Ius habeamus cum brutis commune, ſcilicet vt egregiè obruteſcamus. *Subdens ſtatim*: Cum audis hæc verba, LEX, IVS, IVSTITIA, IVRISPRVDENTIA, erigendam eſſe cogitationem ad excelſam quandam, ſoli homini, à Deo donatam virtutem. Cætera vero animalia, hominis cauſa eſſe creata; in quibus tametſi inclinationes quædam ſunt, & ſenſus cum hominibus communes, nulla tamen ratione prædita ſunt; nulla honeſtatis formula; nihil denique Iuris habent. Et ſic magis diffinietur affectus, & inclinatio naturalis, quam Ius, aut lex. Quæ ſic hominum propria ſunt, quod per ea, à brutis ſegregamur, ac differimus. Huc videtur re-

z Paul. in l. ſi vnus, §. pactum. ff. de pactis. Vlpia. in l. 1. ff. ſi quadr. pauper. feciſ. dicatur.

a Pardulph. Prateius in Lexic. Verb. Ius natur.

b Iuuenal.Sat.15.

ſpexiſſe Iuuenalis, dicens [b]:

———————ſeparat hæc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabi-le ſoli
Sortiti ingenium, diuinorumq; capaces;
Atq; exercendis, capiendiſq; artibus apti,
Senſum à cœleſti demiſſũ traximus arce.

6 His ſic intellectis, † Iuris naturalis diffinitionem aggrediamur, quam ſic Vlpianus deſtinat. [c] *Ius naturale eſt cõmune omnium, eo quod vbique inſtinctu naturæ, non conſtitutione habetur aliqua.* Cui conſonat illa Ciceronis inquientis, [d] *Naturale Ius eſt, quod nobis, non opinio, ſed quadam innata vis affert.* Sed hæ diffinitiones, per cauſam tantum efficientem conſtituuntur: à Philoſopho vero, vt eis moris eſt, per formalem ſic. [e] *Ius naturale eſt, quod vbique eandem habet vim, & non quia videtur, aut non videtur,* ideſt, cuius obligatio oritur ex natura rei, de qua eſt præceptum, non vero ex arbitrio præcipientis, aut humana constitutione. Ego vero, quandam ex diuerſis particulis copioſius compoſitam; materialem, efficientem, formalem, & finalem, cauſas circunnectentem, aſſigno, *Ius naturale* diffiniendo, *eſſe illa principia, & formulas honeſtatis, vbique & ſemper eandem vim habentes, quas natura, non opinio, omnes homines docuit, ad rectè operandum.* Sed minutim circa

c Vlp. l. 1. ff. de iuſt. & ur.

d Cic. lib. de Inuent.

e Ariſt. 5. ethic. c. 7.

* Iuris naturalis diffinitio, ex quatuor conſtituta membris.

huius

huius diffinitionis particulas, nonnulla, vt teneris ingeniolis deſeruiamus, annotemus.

Illa principia.

Ex ſuperioribus habes, † illa abſolute dici principia, vel prima præcepta naturalis iuris, quæ humanæ naturæ ſic propria, & congenita ſunt [f], quod per ſe naturali tantum lumine, nullo neceſſario diſcurſu, nota exiſtunt. *Principia* dixi, vt excluderentur concluſiones, & ſecunda præcepta, quæ ab illis primis principijs eliciuntur, in ordine ad certum finem, ſub certisq; circunſtantijs conſiderata; quæ Iuri gentium accommodantur, de quibus infra ſect. 7. 7

f Leg. 1. ff. de acquir. rerum dominio. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu. §. ſed naturalia.

Et formulas honeſtatis.

Ideſt, nihil turpitudinis, & iniuſti habentes, vt Iſidorus ſentit, & proxime nu. 4. diximus, quæ in hunc quoque locum competunt.

Vbique & ſemper eandem vim habentes.

* Cauſa formalis.

Hic tangitur cauſa formalis, † vbique enim, & ſemper, ſicuti natura, vel Deus ipſe diſpoſuit, vnum & idem eſt cunctis mortalibus hoc Ius: non quia hominum arbitramento conſtitutum, ſed quia natura ſua eſt neceſſarium. Cum enim res, eandem naturam retineant apud omnes, idcirco naturale Ius, eandem quoque vim apud omnes habet [g]. 8

g Ariſt. 5. ethic. c. 7.

* Diſcrimen inter Ius naturale, & poſitiuum.

Oritur enim eius obligatio à natura

obiecti, indeq; ſe diffundit in præceptũ; quo circa communiter dicitur, *Aliqua iuſſa eſſe, quia bona, & non ideo bona quia iuſſa*, vel, *prohibita eſſe quia mala, & non ideo mala, quia prohibita*. E contrario vero, Iuris poſitiui obligatio, à præcepto & voluntate præcipientis oritur, indeq; in obiectum deriuatur, atque idcirco eius præcepta, *bona eſſe dicuntur, quia imperata; non autem ideo imperata, quia de ſe bona*, Vel, *mala eſſe, quia prohibita, & non ideo prohibita; quia in ſe mala*. Sunt enim hæc, earum rerum, quæ nihil referebat antequam ſtatuerentur, an ſic, an aliter fierent. Ius vero naturale, à natura eandem vim vbique habere, & ſemper, hoc eſt numquam deficere, ſed immutabile eſſe, Gratianus ait [h] in hæc verba. *Ius naturale non variatur tempore, ſed immutabile ſemper permanet*. Quod de primis principijs intelligẽdum erit, quæ nedum quantum ad rectitudinis veritatem, eadem ſunt ſemper cunctis rationalibus; ſed etiam ab humana mente ſtirpitus eradicari nequeunt; quantũ ad cognitionem, quam horum principiorum habent omnes; cum neminem lateant hæ veritates communiter notæ: *Quod tibi non vis, ne facias alijs*. *In pace & tranquillitate viuendum eſt*, & ſimilia:
9 At vero, † quia ex ijs neceſſarijs principijs, diſcurrimus ad contingentia,

Diſcrimen inter ius naturale & poſitiuum.

h Diſt, 5. c. 1. d. 6. can. nõ eſt peccatum, §. is itaq.

quæ dicuntur ſecunda præcepta, in quibus humanæ actiones conſiſtunt, aliquoties (ſed raro) defectus contingũt: & illa ſecunda præcepta, quæ ſunt veluti concluſiones practicarum vel operabilium; propter humana impedimenta mutantur; quæ mutatio, non in iure ipſo, ſed in hominibus fit, quorum natura mutabilis eſt. Et ſic veritas concluſionum, ab illis generalibus principijs dependentium, mutatis rebus, mutatur: ex qua mutatione, contraria naſcitur veritas. Vnde ex illo generali principio, *Quod tibi non vis, &c.* Sequitur *Gladium depoſitum, eſſe domino reddendum*. Sed ſi ipſe mutatus ſit, & cum antea ſanus eſſet; inſanus, & furore oppreſſus inueniatur, & gladium velit ad interficiendum, eſt ei denegandum: quia nunquam de iure naturali fuit, vt enſis depoſitus, redderetur furioſo, dum periculum imminet [i]. quin potius, ſemper Ius naturale, (lumine intellectus dictante, & interpretante) contrarium docuit, & præcipit. Pari modo, per ſe ſimpliciter neceſſarium, & tanquam bonum, omnibus notiſſimum Ius eſt. *In pace, & tranquillitate viuendum eſſe*. Ex quo, duæ ſequuntur concluſiones, videlicet, *Abſtinendum eſſe armorum ſtrepitu. Fidemq; promiſſam fore ſeruandam*; & vtraque deficit. Prima, ſi hoſtes ciuitatem inua-

i Ariſtot. 5. ethic. cap. 7 S. Thom. 2. 2. q. 57. ar. 2 ad 1.

dunt.

dunt. Secunda, ſi cauſa emergit, ob quã turpe eſſet, promiſſum adimplere. Inde etiam experimur cũ febriſcitamus, noxium eſſe cibum, quem antea dum ſani eramus, ſalutiferum agnouimus; quod non ex natura cibi, ſed ex noſtra mutatione procedere notiſſimum eſt. Et hæc
10 arctius perſtringendo, nota † tanto plures defectus contingere poſſe, minuſq; veritas innoteſcere, quanto inferius deſcenditur, & hæ concluſiones ad particularia adaptantur; vt ex illo principio, *Quod tibi non vis*, &c. continuo ſequitur, *Non mæchaberis*, nullis ignotum, quia coniugi iniuria infertur. Si vero vltra proceſſeris, puta, *nec ſimpliciter fornicaberis*, licèt in eodem præcepto pariter contineatur; cum non ſic connexam afferat iniuriam, non tam vniuerſaliter eſt cunctis compertum, quod ab aliquibus, non apprimè cultis, ignorari nequeat. *Immò neſcio*, ait Soto [k], *an apud aliquos barbaros, fidei noſtræ inſcios, ignorantia eſſe poſsit prorſus excuſatoria*. Similiter, ex eodem generali principio. *Quod tibi non vis*, &c. educitur, *Non eſſe dicendũ falſum teſtimonium*, quod cum iniuriam inferat, non ignoratur. Si autem progredereris. *Nec mendacium dicendum fore*: quamplurimos inuenies putantes (licet falſo) iocoſum mendacium, extra culpam eſſe. Quo circa, etſi Iure

k Domin. Sot. de iuſt. & iur. l. 1. q. 4. ar. 4.

natu-

naturæ præcipiantur quæ ſuo genere,iuſta ſunt, iniuſtaq; prohibeantur, † & recté vixiſſemus,ſi naturam ducem ſequeremur[l] : nam primi mortalium, naturā incorrupti ſequebantur, eandem habentes, & ducem, & legem [m]. Attamen quia ob hominum peruerſitatem , prauamq; conſuetudinem , obſcuratum erat in eorum mentibus naturale Ius; neceſſe habuit , vt innouaretur , & adijceretur ei diuinum, in ſcriptis traditum : vt nunquam excuſarentur . Et ſic prohibitiones ſecundæ tabulæ,quò patentiores cunctis exiſterent,ſunt criminum , expreſsè iniuriam irrogantium , & ſub *adulterio, homicidio,ac falſo teſtimonio,*omnem turpitudinem,læſionem,ac mendacium prohibent . Tum etiam , amplioris luminis gratia,vt conſtaret, nedum iura naturæ amicis,verum & inimicis deberi; &,nedum externos actus,verum & internos, ad Iuris normam eſſe componendos.Tū vlterius,vt conſilia,quæ naturali deerāt iuri, à diuino ſupplerentur . Indeq; dicitur[n] : *Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos* . hinc exponuntur Gratiani verba, dicentis[o]: *Naturale Ius eſſe id quod in Lege , & Euangelio continetur* . Ideſt,totum id, quod eſt naturale Ius , plenè in Euangelio continetur : non vero id ſolum , ſed & Ius inſuper diuinum,Naturali additum.Ex qui-

11

l Cic.de nat.Deo. lib.1. Paul.Manut. l.6. antiq. Rom.

m Senec. epiſt. 92. ad Lucill.

n Eccleſiaſt.17.

o In Decret.1.diſt.

bus

12 bus habes, † nonnulla naturalis Iuris, variationem recipere poſſe, ſed non omnia. Nam ſicuti quædam res naturales, non patiuntur variari, vt ignis, ita natura calidus, quod nequit eſſe frigidus: alia vero variantur, vt manus dextra, quæ licèt naturaliter fortior ſit ſiniſtra, quandoque hæc, euadit fortior illa. Ita in moralibus, quædam ſunt taliter de iure naturali, quod nequeunt non eſſe, vt *prima principia*, *&* *Decalogi præcepta* p, quæ conſiderata in totum vt præcipiuntur, ſunt indiſpenſabilia, vt infra *Sectione* 8. dicemus. Alia vero, ita ſunt de iure naturali, vt poſſint aliquando deficere, & non eſſe de Iure naturali. Quæ mutatio, non in ipſo iure fit, ſed propter circunſtantiam, ex parte obiecti ſuperuenientem; qua id eſſe deſinit de Iure naturali, quod foret ſecluſa ea circunſtantia; vt *reddere gladium depoſitum domino furioſo, &c.* Vnde efficitur, vt vniuerſim ea quæ iuris naturæ ſunt, eo pacto, quò obiectiuè cenſentur eſſe, *vbique, &* *apud omnes eandem vim habeant*. Variatio autem eorum, quæ ſunt de iure poſitiuo, euenire poteſt, nedum *ex variatione obiecti* (vt ſi in febrim quis incidat, carnem in vigilijs edere poterit, à quibus abſtinere tenebatur) ſed etiam *facta mutatione in ipſa lege, eam abrogando, vel in ea diſpenſando*; cum eius obli-

p Auguſt. lib. 2. Confeſſ.

gatio non ex natura obiecti, ſed ex legislatoris voluntate proueniat. Ac etiam valet poſitiuum Ius, vel humana voluntas, apponere ex parte obiecti circunſtantiam; quà deſinat eſſe Iuris naturalis, id, quod ſecluſa tali circunſtantia, ad Ius naturale pertineret; vt *præſcriptio bonæ fidei* exemplum eſt [q], quæ non efficit, vt inuito domino, retineatur alienum, dum perſiſtit alienum; nam ſic iuri naturali præiudicaret, ſed Princeps, (qui poteſtate fungitur ſpoliandi ſubditos, bonaq; in alios transferendi, ſi Reipublicæ expediat) vt lites reſcindantur, & inertia eorum, qui negligunt rem ſuã repetere, puniatur; ne in poſterum turbetur tranquillitas, bonum publicum ſpeciali præferendo, Iuſtè ſtatuit, vt qui rem certo tempore, bona fide poſſideat, illius dominium adquirat. Qua appoſita circunſtantia ex parte obiecti, res illa non eſt aliena; neque illius retentio contra Ius naturale, ſed ipſi conſona, & indirectè ad ipſum reducta, iuxta tres ſequentes Iuris naturæ regulas,

1 *Qui peccat debet puniri*,
2 *Litibus imponendus eſt finis*,
3 *Bonũ commune ſpeciali eſt præferendũ.*

Quas natura, non opinio.

13 Hic † *natura*, cauſa efficiens eſt; & alijs prætermiſſis ſignificationibus, denotat rationem [r] honeſti, à Deo homi-

nibus

q ff. & C. de præſcript.

* Cauſa efficiens.

r Leg. ſi non ſortem, §. libertus. ff. de condict. indeb.

nibus inditam. Nam vt Seneca ait, [s] *Quid aliud natura eſt, quam Deus & diuina ratio, toti mundo & partibus eius inſerta*. Vnde ſicuti omnes virtutes, ſecundum propriam *naturam*, ideſt *rationem* fiunt, *eſt enim virtus*, vt Cicero diffinit, [t] *perfecta, & ad ſummum perducta natura)* conſequenter omnia vitia contra naturam tendunt, hoc eſt contra rationis præſcriptum; Auguſtini doctrina eſt dicentis, [u] *Omne vitium, naturæ nocet, ac per hoc contra naturam eſt*; & Diui Ioannis Damaſceni [x] affirmantis; homines fieri malos, declinando ad id, quod eſt contra naturam. Quod adeò procedit, vt nedum quæ contra rationem, nobis propriam ac congenitam, patrantur, ſed etiam ea, quæ contra genericam animalium naturam committuntur, contra naturam dicantur, vt *præpoſtera venus*, quia contra generationem eſt; cunctis animantibus communem: *Simplex vero fornicatio*, contra naturam, ſcilicet rationalem, dictantem parentibus, educandas, moribusq; inſtituendas eſſe proles; quod hominibus duntaxat competere, aperte conſtat, Vnde, *Gentes quæ legem non habent*, dixit Apoſtolus, [y] *naturaliter quæ legis ſunt, faciunt*.

[s] Seneca de benef. l.4. cap.7.

[t] Cic.l.1.de leg.

[u] D. Aug. de Ciuit.Dei lib.12.cap.1.

[x] D.Ioann. Damaſc. de Orthod.Fide, l.2.c.30.

[y] Apoſt.ad Rom.2.

Non opinio.

Ponitur ad excludendum Ius gentiũ,

& quod-

& quodlibet Poſitiuum.

Omnes homines docuit.

14 *Docere*, propriè,† denotat rationē [z], hominibus duntaxat connaturalem, & ſic bruta doceri nequeunt, cum ratione careant. Indeq; conſtat Vlpianum & Iuſtinianum [a] abuſos etiam fuiſſe, hoc verbo *Docere* dum dicunt, *Ius naturale eſt, quoc natura omnia animalia docuit*. Non quidem in animalibus (rationali excepto) poteſt dari *Ius*, nec *Doctrina*. Sed intelligemus ibi, eos (licet impropriè) *doctrinam* appellaſſe, illum inſtinctum à natura brutis inditum, vel, non de Iure tantum hominibus proprio, ſed generaliter de coniunctione maſculorum fœminis, vt Soto iudicat, [b] alloquutos fuiſſe.

* Cauſa materialis, homo operarius.

z Facit. 23. diſt. c. qui Epiſcopus; & Petrus in epiſt. *Erunt omnes dociles Dei*. 36. d. §. ecce.

a Vlp. l. 1. ff. de iuſt. & iur. Inſtit. de iure nat. gent. & ciu.

b Sot. vbi ſup. lib. 1. q. 4. ar. 4.

Ad rectè operandum.

15 Cum homo, humo excitatus, †celſus, & erectus ad Deum creatorem contemplandum, venerandumq; conſtitutus, nihilo magis indigeret, quam Iure & regulis ad rectè operandum, iuſtumque faciendum; quod eſt, ei (beatifica viſione excepta) ſummum bonum, Iuxta illud Auſonij. [c]

* Cauſa finalis.

Quæ nam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.

c Auſon. de ſeptem Sapientum ſentent.

Pientiſſimus dominus, immenſus bonorum largitor, vt huic mederetur neceſſitati, ſua ineffabili prouidentia, natu-

rale

rale lumen & Ius, in corde, & mente hominum impreſſit, vt omnes eorũ actiones ad debitum finem, rationis dictamine, moderarentur, quam ſemper vt Claudianus cecinit, [d] gubernatricem haberent.

d Claudianus de 4. Honorij Conſul.

———. hæc ſola manet, buſtòq; ſuperſtes
Euolat, hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, proſpecturamq; labori.

Satis quidem beatè, ratione duce vixiſſemus,

Nam neque decipitur ratio, nec decipit vnquam,

Vt Manilibus teſtatur, [e] ſed obſcurata extenuataq; fuit, per Protoplaſti inobedientiam. Vnde cum omnibus rebus ſublunaribus, perfectior ſit homo, eiſq; præſideat; quodammodo ipſis inferior videtur, quia appetit multoties, quod illi non eſt verè bonum, licet bonum ſenſui appareat. Vniuerſæ vero res, id ſolum appetunt bonum; quod, illis verè bonum eſt. In quo ambæ hominis naturæ, rationalitatis, & animalitatis deijciuntur, cum id, quod natura ſua malum exiſtit, [f] ſub prætextu boni, propter peccatum appetat. Quo fit, vt omnia deprauata, & diruta iaceant, poſtpoſito illo vnico huius Iuris principio, quod eſt, *ratio*, & conſequenter reiecto illo vnico fine & ſcopo, ſcilicet *bonum*

e Manil. l. 2. Aſtronomi.

f Leg. item ſi vnus ff. de recep arbit. §. principaliter, ibi, propter naturalem hominũ ad diſſentiendum facilitatẽ.

in

in genere, à quo quidem fine, præceptorum huius Iuris vnitas, deſumitur, ſicuti diuerſa Pontificum decreta, ad vnum pertinent Ius, omneſq; Bibliæ libri, ad vnam fidem Catholicam.

De Iure Gentium.

SECTIO VII.

SVMMARIVM.

Quod Iuriſconſulti permixtè ſe gerunt in diuiſione Iuris humani.

Vera differentia Iuris naturalis, Gentium, & Ciuilis inter ſe.

Quod rerum diuiſio, non pugnat cum Iure natura, ſed ei conſona eſt.

Cur diuiſio introducta

Quo caſu omnia debent eſſe communia.

Quomodo deſinant communia eſſe.

De rebus à Iure Gentium introductis.

Tres contractus ponuntur, non introducti à iure Gentium.

Seruitus vnde dicta, & quod non aduerſatus iuri natura.

0 *Philoſophi dictum circa hoc, exponitur.*

1 *Quadam Iuriſconſultorum hallucinatio pateſit.*

2 *Quod ius Gentium, Naturali innititur, ab eoque promanat.*

3 *Cur Poſitiuum dicitur.*

4 *An diſpenſari, aut abrogari poſſit.*

1 ISIDORVS, ac Iuriſconſulti, [a] *humanum Ius* diuidunt † in *Ius gen-*

a Cap. Ius gentium d. 1. & ff. de iuſt. & iur. l. 1. §. vlt.

tium, *&* *Ciuile* . Et illud quod naturalis ratio, inter vniuerſas gentes conſtituit, apud omneſq; populos peræquè cuſtoditur, vocant *Ius Gentium*. ideſt, quò omnes gentes vtuntur, [b] ſicuti *Ius Ciuile*, à populo alicuius ciuitatis, nomē obtinuiſſe compertum eſt. Cum autem circa veram horum iurium diſtinctionem, nonnulli Doctores confusè ſe gerant, perpendenda eſt differentia, quæ datur inter Ius naturale, Gentiū, & Ciuile; quam niſi rectè diſcernas, tota errabis via, ad veramq; Iuris cognitionē, haudquaquam peruenire poteris.

b Liu. lib. 1. Decad. 1. Senec.l.3. de bene. Cornel. Tac.l.19.

Differunt quidem inter ſe hæc iura, †
2 quod *Ius Naturale*, vt ſuperius diximus, cum à natura duntaxat inditum ſit, ſimpliciter neceſſarium eſt, ſecundum abſolutam rerum cōſiderationem, vt coniunctio maris & fœminæ, ac proliū nutritio. Sed *Ius gentiū*, eſt quidquid homines [c] ex principijs naturalibus, cum ratiocinationis adminiculo elicuerunt, ac cuſtodierunt. Neutiquam enim rerum poſſeſſiones diuiderentur, ni homines conſentirent, vt hi, has, illi vero, illas poſſiderent. *Ius vero ciuile* deducitur ex quoddā naturali principio, & quadā præmiſſa, humano arbitramento conſtituta. Ideoq; non colligitur per viam illationis, ſed ex illo communi genere, ad particulare trahitur, vt inferius patebit.

c Dict.l.1. ff.de iuſt. & iur. S.Thom.1.2. q.95. art.4. Sot.de iuſt.& iur. l.1.q.5.ar.4.

tebit. Et in hoc à Iure gentium differt, ac etiam quia requirit Principis auctoritatem, aut Reipublicę cœtum in vnum locum, vt habito conſilio, conſtituatur Ius Ciuile: quibus, Ius Gentium non indiget, cum ratio naturalis, quà conſtituitur, ſingulos per ſe doceat. Hinc etiam tertio differunt, quod *Ciuile*, eſt particulare ciuitatis, ſcilicet Romanæ, vel alterius: *Gentium* vero, eſt gentibus omnibus commune: nam omnes, ratione duce, † conuenerunt in rerum diui- 3
ſione, quæ de Iure naturali non eſt, apud quod omnia ſunt communia, ſed de Iure Gentium licitè fuit introducta [d]: nec cum Iure naturali pugnat, cum omnia dederit Deus indiſtinctè hominibus, donec ipſi inter ſe, voluntariè, ea appropriare, & diuidere vellent, vt vidiſſent expedire. Quia non præcepit vt res haberentur in communi, nec prohibuit diuiſionem earum, præſertim ſi ſucceſſus temporis, generisq; humani ſtatus, poſtulaſſet. Quo fit, vt, non quidem prohibita, ſed permiſſa fuerit à Iure naturali, rerum diuiſio: adeò quod nedum in ſtatu naturæ corruptæ, verumetiam in Innocentiæ ſtatu, valerent homines ex communi conſenſu, inter ſe ipſos, abſque alterius iniuria, res diuidere, ſi neceſſe fuiſſet. Sed cum eo in ſtatu, terra, nullo interueniente labore,

d Aug. tr. 6. in Ioan. & habetur c. quo iure, d. 8.

hominibus neceſſaria ſuppeditaſſet, iuxta illud Poetæ, *

* Ouid. l. 1. Metamorph.

Ipſa quoque immunis, raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus,
Contentiq; cibis, nullo cogente, creatis.

Nullaq; fuiſſet inter homines inordinata auiditas, aut affectio ad temporalia, qua, aliqui in cæterorũ detrimentũ res ſibi vſurpare, vel appropriare vellent, non fuit tunc facta diuiſio, quia neceſſaria non erat: quinimmo expediens, ac decens fuit communis rerum poſſeſſio (vxoribus exceptis propter generationis & educationis actum.) Conſequen-
4 terq; † in ſtatu naturæ lapſæ, expediens licitumq; fuit, rerum diuiſio [e] à Iure gentium introduci, tùm, vt melius adminiſtrarentur, tùm etiam ad vitanda ſcandala, & mala, quæ ex communi rerum poſſeſſione, propter prauos hominum affectus, & cupiditates, oriri poſſent. Vnde communia deſinunt eſſe, quæ antea communia erant, & cõtra ius naturale foret, cum diſtincta ſint rerum dominia, velle in communi omnibus vti rebus: nam id quod noſtrum eſt, inuitis nobis, neutiquam auferri licet [f]: exce-
5 pta extrema †, aut penè extrema neceſſitate; tunc enim ſub reatu lethalis culpæ, omnia debent eſſe communia. Si-

e De hac re Ariſt. 2. Polit. c. 3. S. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 2. Conrad. de contractib, q. 9. Ioan. Medi. de rebus reſtituend. q. 1. Ludou. Molin. de iuſt. & iur. to. 1. tr. 2. diſput. 20. Sot. eod. tit. l. 4. q. 3. ar. 1. Scot. in 4. ſent. d. 15. q. 2.

f Leg. id quod noſtrum. ff. de reg. inr.

cuti

cuti enim ante rerum diuiſionem, prohibere quenquam ab vſu rerum communium, foret contra Ius naturæ; quod etiam nunc procederet, eſſetq; manifeſta iniuria, ſi alicui, vſus earum rerum, quæ habentur in communi, prohiberetur, vt, *tranſitus per viam publicam*; vel, *potio fontis communis*. Sic etiam † di- 6
uiſis rebus, non eſſet contra Ius naturæ, prohibere vſum illarum, quæ propter diſtinctionem dominiorum, deſinunt eſſe communia. Nec proinde, naturale Ius, quod immutabile eſt, [g] mutatur; ſed fit mutatio in obiecto, hoc eſt in rebus, propter illam circunſtantiam & diuiſionem aduenientem: ratione cuius extrahitur obiectum, à numero rerum compræhenſarum ſub naturali iure. Hinc ſtatutum ſeruatumq; videmus de Iure gentium, quod ea, quæ in diuiſa remanebant, ac etiam illa, quæ in nullius bonis inuenirentur, fierent primo occupantis. [h] Ea vero, quæ communes eſſent, vt fontes, ac viæ publicæ, à nullo permitterentur occupari. Ex hoc Gentium iure, introducta ſunt † bella, pro 7
adquirenda pace, [i] captiuitates, & ſeruitutes: condita Regna, dominia diſtincta, ædificia collocata, commercia inſtituta, [k] vt emptio, venditio, locatio, cōductio, ſocietas, mandatum, depoſitum, mutuum, pignus, permutatio, commo-

g Cap. non eſt peccatū, §. is itaque, diſt. 6.

h Inſtit. de rer. diuiſ. §. fere, & alijs iuribus.

i Lancellott. de comparatione iuris vtriuſque, §. porrò.

k Leg. 5. ff. de iuſt. & iur. Inſt. eod. tit. §. 4.

8 datum,omneſq; contractus, † ſine quibus humana ſocietas conſtare non poteſt; exceptis, *donatione ob nuptias, ſtipulatione, & emphiteoſi*; nam hi tres cõtractus Iure Ciuili inuenti ſunt: licèt enim donatio, vſu recepta foret, apud omnes gentes; tamen ex ſolo pacto, quis non obligabatur.[l] Nec prædictis obſtat quod Iſidorus, & Iuriſconſulti dixerint,[m] communem rerum poſſeſſionem, & libertatem, † eſſe de Iure naturali, ita vt ſeruitus cõtra ipſum pugnet, cum iam Iure gentium, *rerum diuiſio*, & *ſeruitus*, in Orbem inducta ſit. Nec inde ſequitur, naturale Ius eſſe mutabile, quia natura non interdixit ſeruitutem, nec præcepit poſſeſſiones fore communes, ſed potius hæc omnia hominibus indiſtinctè aſſignauit, donec ipſi, voluntariè, vt vellent, diuiderent, ſeruitutẽq; introducerent.[n] Commiſſa autem culpa per aliquos populos, ortoq; bello iuſto, cum fas fuerit, ex propria Principis, aut populi auctoritate, aduerſarios interficere: licitè potuit commutari mors, ijs qui illa digni erãt, in perpetuam eorum ſeruitutem, vt ſic à morte ſeruarentur; ſicut nomen ipſum indicat, nam *ſerui*, à *ſeruando* nõ à *ſeruiendo* dicti ſunt.[o] Qua ratione, merito cepit ſeruitus Iure gentium introduci. Et quando Philoſophus,[p] dixit, *multos iure naturæ eſſe*

9

l Toto tit. ff. & Cod. de pactis DD. in c. pactum, de verb. ſignif. c. 1. & 2. de pact.

m Iſid. l. 5. etymol. quod habetur d. 1. c. ius gentium. concordat. L. 4. ff. de ſtat. hom. & §. 1. Inſt. de libertin. l. manumiſſ. ff. de iuſt. & iur. §. ſeruitus. Inſt. de iure perſon. §. Ius autem gentium, Inſt. de iur. nat. gent. & ciuil.

n Diſt. 1. can. Ius gentiũ & inſt. de iur. nat. gent. & ciuil. & ff. de iuſt. & iur. L. manumiſſ.

o L. 4. ff. de ſtatu homin. §. ſerui inſt. de iure perſ. l. 239. ff. de verb. ſignif.

p Ariſt. 1. Polit.

ſeruos, † non accepit Ius naturæ *ſimpliciter* : penſata enim abſolutè humana natura, non eſt cur magis ſeruiat vnus, quam alter. Sed illud conſiderauit, *in ordine ad certum finem*, videlicet vt in bello capti, ſeruentur, & vt hebetes, à ſapientioribus doceantur : quæ Iuris gentium ſunt ; licèt, doceri ab alio, magis naturalis ſit ; cum non contrarietur libertati. Seruitus vero, educta fuit per modum concluſionis, ex illo naturali principio, *In pace viuendum eſt* : nequiuerat quidem aliter hoſtis in bello ſeruari. Nec etiam refert, † quod Iuriſconſulti [q] dixerint, *Deum, patriam, ac parentes colere, & iniurias propulſare*, eſſe de Iure gentium ; cum de Iure naturæ ſint ; quia *Iurisprudentes* (vt Soto, & Molina ſentiunt [r],) *nimium extendunt Ius gentium : cenſent namque, tali appellatione cōpræhendi, quidquid cunctis mortalibus eſt commune : & Ius naturale, id duntaxat eſſe ; quò etiam bruta cum hominibus conueniunt ; cum tamen multa ſint naturalia iura, quæ peculiariter conueniunt humanæ naturæ ; & non brutæ, vt eſt Decalogus, & quæ ibi implicita ſunt*. Et ipſe Iuſtinianus [ſ] affirmat, in diuiſione à ſe facta, *titulo de Iure natural. gent. & ciu.* compræhendiſſe ſub Iure gentium, ea quæ ſunt Iuris naturalis. Differentia ergo eſt, quod ſimplici-

10

11

q Pompon. l. veluti. ff. de iuſt. & iur. Florentin. l. vt vim, eo tit.

r Domin. Soto de iuſt & iur. l. 3. q. 1. art. 3. ad 1. Molin. eodem tit. tom. 1 tract. 1. diſp. 6.

ſ Iuſtin. §. Singulorum Inſt. de rer. diuiſ.

12 ter neceſſaria † ſecundum abſolutam rerum conſiderationem, ſunt *de Iure naturali*. Quæ vero in ordine ad certum finem, naturæ rei conuenientem, per viam illationis eliciuntur, pertinent *ad Ius gentium*, veluti ex illis principijs: *In pace viuendum eſt*, & *Agri colendi ſunt*, humana ratio colligit, rerum diuiſionem fore neceſſariam. Quia cum in ſtatu naturæ lapſæ, homines negligentiores eſſent ad communia, quam ad propria, conueniẽs fuit, quod priuatim poſſiderentur: nam in communi viuẽs homo, neque agros coleret diligenter, neque tranquillam duceret vitam. Ac etiam, cum ſit animal ciuile, ſe ſuſtentare nequiret, ni omnes, ad inuicem ſe operis mutuo iuuarẽt; ad quod emptiones, commutationes, cæteriq; contractus introducti ſunt. t Et quamuis negari nequit, Ius gentium, quodammodo naturale eſſe, (quia omne Ius, vt rectum ſit, Naturali iuri inniti debet,) ab eo tamen differt propter illationẽ, tunc præſertim, dum longius concluſiones, à naturalibus principijs diſtant. Nam illæ, quæ non ex ſolis principijs naturalibus pullulant, ſed ratiocinationis adminiculo conſtituuntur, *Ius gentium*, nuncupãtur: licèt gentibus mundi vniuerſis, nunquam in vnum locum conuenire, vt Ius aliquod ſtatuerent, poſſi-

t ff. de iuſt. & iur. L. ex hoc iure.

bile fuerit; ſed diſperſim omnes, naturali ratiocinatione mediante, id Iuris perdocentur: Vnde Ius naturale poteſt appellari *ratio*, Ius vero gentium, *ratiocinatio*, ad quod non requiritur, vti ad Ciuile, hominum conuentus, ſed ſufficit conſenſus. Neque vt aliqua, de Iure gentium eſſe dicantur, expedit neceſſario, vt omnes vniuerſim gentes illud exerceant: poſſent quidem barbari, aliqua re non vti, qua reliquæ gentes vtuntur, & non ideo deſinet eſſe de Iure gentium. Videmus etiam receptum eſſe, qui ab alijs Chriſtianis in bello iuſto capiuntur, ſeruitutem non contrahere: nec proinde deſinit eſſe de Iure gentium, quod capti in bello iuſto, pro ſeruis habeantur. Et quamuis bona Religioſorum, poſſideantur in communi: Iuris gentium ſunt rerum omnium diuiſiones; circa quas, earumq; appropriationes, ac dominiorum amiſsiones, & translationes, plurima poſtea à Ciuili Iure, ſtatuta inueniuntur. Iure etiam Diuino poſitiuo, vt Ludouicus Molina [u] ait, ex ſpeciali priuilegio, dominia quarundam rerum, à Deo, aliquibus hominibus data ſunt; vt Sauli, & Dauidi, Regnum Iſraeliticum, & filijs Iſrael, terra promiſſionis; ablato eius dominio, à prioribus poſſeſſoribus. Hoc ergo Ius, † 13

u Molin. de iuſt. & iur to.1.tr.2.diſp.20.

quod, ex communi gentium, tacito, vel expreſſo conſenſu, aut ex Prothoparentum, vel Noe poſt diluuium, alicuiusvè electi Principis, (cuius rei inueſtigatio, parum refert) ratiocinationis moderamine poſitum eſt, *poſitiuum* dicitur, x à Naturalique & Ciuili diſtinguitur, vt dictum eſt. Efficereque potuit propter circunſtantiam appropriationis rerum, ex parte obiecti aduenientem; quod non repugnet Iuri naturæ, poſſeſſionum diuiſiò: immò verò diuiſione facta, licitum cuique ſit, ab vſu rei ſuæ, alium quemcunque prohibere; qui ea, extremè non indiguerit.

x S.Tho.1.2.q.95. ar.4. Sot.de iuſt.& iur. l.1.q.5.art.4.

14 Vltimo, † cum ad huius Iuris inſtitutionem, neceſſarius fuerit, communis omnium nationum, aut ferè omnium conſenſus; & nunc perdifficile ad ipſum diſpenſandum, vel abrogandum, haberi poſſit, videtur quod diſpenſari, aut abrogari nequeat: præcipuè nonnulla huius Iuris, adeò ad humanum commercium conducẽtia, quod nullatenus diſpenſari poſſe iudicetur, vt, *rerum diuiſio*, quæ ſi prorſus tolleretur, maxima inde orirentur mala, & proculdubio lethali culpa non careret, qui eam omnino tolleret; nam niſi inter Religioſos, intollerabilis eſſet communis rerum poſſeſſio. Si tamen ex omnium conſenſu tolleretur, factum

† An in Ius gentiũ, diſpenſatio, aut abrogatio cadat?

tene-

teneret, vt Molina ſentit, [y] rationemq; aſſignat, quia *ſicut humana voluntas, ſufficiens cauſa fuit, ad rerum diuiſionem inducendam, ſic quoque ſufficiens videtur, ad illam tollendam.* Alia vero eiuſdem Iuris, ex cauſa diſpenſantur, videlicet ne Chriſtiani à Chriſtianis in bello capti, mancipia fiant. Item, *ſeruare legatos in bello*, ac, *fidem hoſtibus*, huius Iuris ſunt, & abſque diſpenſatione poſſent interfici, fideſque violari, ſi ipſi aduerſus religionem, corrupta dogmata diſſeminaſſent.

Eſt enim hoc Ius, humana ratione, & voluntate introductum, ideoque ex cauſa, ſaltem in parte diſpenſabile.

*

y Molina eod. tit. tom. 1. tract. 1. diſput. 5.

De Iure Diuino naturali, & poſitiuo.

SECTIO VIII.

SVMMARIVM.

1 *Diuini iuris diffinitio, & diuiſio.*
2 *Præcepta Iuris veteris diuiduntur.*
3 *Quid ſint Teſtimonia, Iuſtificationes, & Mandata.*
4 *Moralia præcepta vnde dicta; quid ſint, & cur in ſcriptis tradita.*
5 *Lex vetus cur Hebræis data, & ad Gentes non extendebatur.*
6 *Quot, & quæ ſint præcepta Decalogi.*
7 *Quid præcipiunt, & prohibent.*
8 *Qualiter in Decalogo præcepta Eccleſiæ continentur, & peccata mortalia interdicuntur.*
9 *An præcepta moralia ſemper obligent, & an ſint indiſpenſabilia.*
10 *Cæremoniæ vnde dictæ, & quid ſint.*
11 *De earum vi, inſtitutione, & ſignificatione.*
12 *An contulerint gratiam, vel iuſtitiam continerẽt.*
13 *Diuiduntur in ſacrificia, ſacra, ſacramenta, & obſeruantias.*
14 *Quid ſint Iudicialia præcepta, & cur inſtituta.*
15 *In quatuor diſtribuuntur membra.*
16 *Quod potuerunt denuo in noua lege inſtitui.*
17 *Lex Euangelica quid ſit, & vnde dicta.*
18 *Differt à veteri lege, ratione cauſæ efficientis, & ratione ſubiecti.*
19 *In modo edocendi, & quia illa comminabatur, hæc allicit.*
20 *Ac etiã in præmij pollicitatione, & ratione figuræ.*
21 *Ratione ſignificationis, & ratione perfectionis ſecernitur.*
22 *Et quia explicatiora continet præcepta, & conſilia ſuperaddit.*
23 *Et in natura præceptorum, & ratione durationis.*

24 Item

24 *Item ratione vniuerſalitatis, & quia cælos aperit.*
25 *De legum confinio, complemento, & excluſione legis veteris.*
26 *De diuino iure poſitiuo, propriè, & impropriè ſumpto.*

1 DIVINVM Ius, † ex Iſidoro[a], *eſt quod in Lege, & in Euangelio continetur*. Vel, vt à D. Thoma[b], ſecundum ſui rationem formalẽ diffinitur, *eſt quod diuinitus promulgatur*.

Diuiditur in *Vetus, & Nouum*, non ſic vt prorſus duæ ſint ſpecies, ſed diſtant veluti imperfectum, ac perfectum eiuſdem ſpeciei. De nouo inferius dicemus, nunc de veteri.

Ius vetus diuinum continetur in lege, ſcilicet Moyſis, de qua in dubio per Antonomaſiam eſt intelligendum[c]. Non quia ab ipſo, hoc prouenerit Ius, ſed à Deo[d], qui diuinam antiquam legem, per Angelos[e] tradidit Moyſi, vt populo eam denunciaret; veluti poſtea Chriſtus D. N. per ſeipſum, nouam reuelauit Apoſtolis, quam ipſi, vniuerſo Orbi promulgarent. Indeq; interdum *Apoſtolica* nuncupata, ſicut illa *Moſayca*, quia à Moyſe promulgata.

2 Vniuerſa † huius veteris Iuris præcepta, diuiduntur in *Moralia & Myſtica* ſecundum aliquos. *Myſtica* dicunt eſſe *Cæremonialia* (& *Myſtica* dicta; quia arcana vel figurata) quæ aliud, præter id

a In Decr. d. 1. in princ.

b D. Tho. 2. 2. q. 57. ar. 3. ad 3.

c Argum. §. quoties de iur. nat. gent. & ciu.

d Exod. 24. Deuter. 10. Paul. ad Hebr. 9.

e Dioniſ. de cæleſti hierarchia, c. 4.

quod videtur, continent, vel aliud ſignificant, quam quod litera ſonat. *Iudicialia* vero, dicunt eſſe, acceſſoria ad Moralia, vel ad ea pertinere [f]. Sed claridius diuiduntur in *Moralia*, *Cæremonialia*, & *Iudicialia* [g]. Cætera vero nomina, quibus lex vetus frequẽter vtitur, vt *Teſtimonia*, *Iuſtificationes*, & *Mandata*, ad hæc tria priora reducuntur, quæ agendorum præcepta reſpiciunt. Poſteriora vero, non tam præcepta ſunt, quam ad cuſtodiam priorum pertinentia, & quaſi eorum robur adhibita.
3 Cum autem, † vt leges obſeruentur, haud parũ legislatoris auctoritas, legiſq; vtilitas conducant; quando in ſcriptura, maieſtas Dei commendatur, vt, *Omnipotens nomen eius*, &, *Terribilis es quis reſiſtet tibi?* ac ſimilia; appellantur *teſtimonia*: Quando vero de legis auctoritate, hoc eſt, de *præmio*, vel *ſuplicio* agitur [h], cum per hæc, diuina iuſtitia commendetur, *Iuſtificationes* dicuntur. *Mandata*, vel ſint, idem quod *præcepta*, vel ideo differant, quod hæc, in Decalogo contineantur; *Mandata* vero ſint, quæ Deus reuelauit Moyſi promulgãdã Populo; cum ad nos ſtirpitus diſquirere haud attineat, ne conturbemur, omittenda erunt: nam diuerſimodè [i], ac promiſcuè, ſacra lex Domini appellatur, *via*, *teſtimonium*, *iuſtificatio*, *iudicium*, *manda-*

f C. non eſt peccatum, §. his itaque, d. 6. vbi Turrecre.

g Deut. 5. 6. & 14.

h Deut. 18. Iſaiæ 1.

i Ex Ioanne Driedone.

tum, præceptum, ſermo, eloquium, teſtamentum.

De præceptis moralibus.

LIcet cuncta † Præcepta moralia, (ſic appellata, quia mores informant[k]) nihil aliud ſint, quam quod lex Naturæ dictat; & ſecluſa alia lege, vim habeant, & energiam ligandi: attamen, quia non ſunt, ſic vniuerſalia principia, quod omnes homines, nullo rationis præcedente diſcurſu, ea ſtatim capere poſſint, quin aliquo ratiocinationis opere indigeant, cũ ex principijs naturalibus per modũ illationis colligantur; neceſſarium fuit, à Deo per legem ſcriptã explicari[l], vt nulli mortales per ignorantiam, vt ait Auguſtinus[m], ſe valerẽt excuſare. Nam etſi nunquam in hominibus, habitus naturalis reſpectu operabilium, Syndereſis appellatus[n], vſque adeò extingui poſſit, quod prima naturalis iuris principia non refulgeant: Vt plurimum tamen, humana ingenia, ſic ſunt nebulis obſcurata, prauiſq; moribus caligata, quod circa eorum principiorum concluſiones, nedum in ſpeculabilibus, verum & in moribus, hallucinantur & aberrant. Exempla ſunt, tot vetuſtorum Sapiẽtum de ſpeculabilibus deliramenta, ac morum deprauationes: 4

quo-

k Moribus conſtitutum Ius. L.32. & l.32. ff. de legib. §. ex non ſcripto, inſt. de iur. nat. gent. & ciu.

l Exod.31

m Aug. de gratia, & libero arbitr.

n Aug. in lib. de baptiſ. paruul. S. Tho. 1. p. q. 79.

quotidièq; experimur ; maximam eſſe humanæ mentis,ad optima capeſſenda, caliginem & hebetudinē,cum poſt 1600. annos noſtræ Redemptionis, & Euangelicæ lucis;tam magna Orbis pars,veram non amplectatur fidem, eandemq; aliquibus in Prouincijs,tot modis laceram videamus. Quocirca neceſſe fuit, quod ipſe Deus, humanæ imbecillitati ferens opem,ſcriptam traderet legem, tempore quo data eſt (nam tunc credibile apparet,hominum ingenia hebetiora extitiſſe) quà nedum, de ſupernaturalibus articulis, ſed etiam, de naturalibus nos erudiret; ſecumq; arctiſſima amicitia copularet [o]. Cum enim præcipuus humanarum legum finis ſit, homines mutua inter ſe deuincere amicitia; ſic Dei intentio eſt,per leges ſuas, nos ſibi gratos efficere: quod,mediante virtutum, morumq; ornamento adipiſcitur: & ſic
5 morum præcepta, † à Deo tabulis ſculpta,Hebræoq;populo data ſunt,quod ex ſumma Dei ſapientia factum conſtat.

o 1. Timoth. 1. Finis præcepti charitas.

Decebat quidem, populum ex quo Chriſtus naſciturus,& cui myſteria tam profunda concredenda erant; ſelectum, & reliquo orbi ſanctitate præſtantiorem eſſe. Nā *ſi ſparſim*, vt Soto ait [p]: *fuiſſent ſtatim illa recondita myſteria per orbem euulgata,ludibrio citius haberentur,quam eis adhiberetur fides; propter quampluri-*

p Soto de iuſt.& iur.l.2. q.1.art.3.

ma hominum ingenia, tùm naturali hebetudine, tùm morũ peruerſitate caliginantia. Et ſic non extendebatur ad Gentes huius legis obligatio; neminiq; extra illum populum, ad ſalutem neceſſaria erant præcepta cæremonialia, & iudicialia, ſed moralia duntaxat: quæ ab omnibus debebant obſeruari, non quia à Moyſe promulgata, ſed quia à naturali iure iuſſa [q]. Nam in lege naturæ (non vero per naturæ vires) valebant homines, ante & poſt legem Moyſis, ſaluos fieri: voluit enim Deus, in omni lege, vſque ad Euangelicam, vniuerſis neceſſariam; poſſe homines ſalutem obtinere. Vbi notandum, quod etſi Gentes extra legem circuncidi paterentur, vel aliquibus cæremonijs à Iudæis mutuatis vterentur, nõ proinde eſſet illis propriè lex diuina, niſi totam profiterentur legem, neque ſola Circunciſio ad ſalutẽ proficeret, vt Apoſtolus docet [r]: *Teſtificor omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ*.

6 Sunt hæc præcepta ✝ Decalogi, decem vt id nomen exponit, nam *deca* ſignificat *decem*, & *logos* idem eſt, quod *ſermo*, quaſi decem moralium præceptorum ſermo: Quæ his verſibus continentur.

Vnũ cole Deũ, ne iures vana per ipſum,
Sabbatha ſanctifices; habeas in honore parentes,

q Paul. ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt.

r Ad Galat. 5.

Non ſis occiſor, fur, mœchus, teſtis iniquus,
Alterius ſponſam, nec rem cupies alienam.

Horum quædam affirmatiua, quædã negatiua ſunt [f]. *Affirmatiua* ordinant fieri illa, quæ *ſemper obligant*, ſed non *ad ſemper*, vt *parentes ſemper honorandi ſunt*, ideſt omni tempore, non vero *ad ſemper*, hoc eſt, in omni hora, & momento: ſed quando occaſio, & neceſſitas occurrunt. *Negatiua* vero prohibent, quæ non facienda ſunt, *ſemper* & *ad ſemper*, vt *non occides*: *non mœchaberis*, nullum quidem tempus eſt, in quò hæc liceant.

7 Continebantur † hæc præcepta *tria* in prima tabula, habentia innatũ ordinem, ad bonũ commune quod eſt *Deus*; & *ſeptem*, in ſecunda, ordinem habentia ad bonum commune *hominum* [t], quod non ſic intrinſece bonum eſt, vt illud Deo debitum: Sed cum innatam iuſtitiam contineat; in Deum, iuſtitiæ auctorem, intimè refertur. Ordinant quidem prioris tabulæ præcepta, hominem ad dilectionem Dei, ſecundum illa tria à quocumque homine, domino ſuo debita [u], quæ ſunt, *Fidelitas*: *Reuerentia*: *& Famulatus*, & ſic primum præceptũ eſt fidelitatis, *non habebis Deos alienos coram me* [x]. Secundum, reuerentiæ, *non aſſumes nomen Dei tui in vanum* [y]. Ter-

tium,

f Fab. Incarn. in Seruiti. Sacer. 1. p. li. 7. in princ.

t Ex Matth. 22. Luc. 10.

u Ex Aug. ſuper Exod. 20. c. & S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5.

x Exod. c. 20. Deuter. 5. & ibi Nicol. de Lyra. facit c. non liceat. 26. q. 5.

y Catechiſm. in præcepto, Non aſſumes nomen Dei in vanum, c. 1. & vlt.

tium, famulatus, *Sabbatha ſanctifices* [z].

Poſterioris vero tabulæ præcepta ſeptem, ad proximum ordinantur, vel *ſpecialiter*, vel *generaliter*.

Specialiter, ad reddendum debitum illis, quibus homo debitor eſt, vt *honora patrem tuum, & matrem tuam* [a], à quibus quiſque obtinet *eſſe*, *nutrimentum*, *& diſciplinam*:

Generaliter vero, ordinatur ad cæteros omnes, vt nemini noceat *opere*, *ore*, *aut corde*.

OPERE, quod prohibetur, quoad perſonæ conſiſtentiam, in 5. præcepto, *non occides* [b]: quoad perſonam coniunctam in *6.* non *mæchaberis* [c]: quoad rem poſſeſſam in 7. *non furtum facies* [d].

ORE lædere, prohibetur in 8. ſcilicet, *non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium* [e].

CORDE, in 9. quoad concupiſcentiã rei alienæ, *Non deſiderabis rem proximi tui* [f], & in 10. quoad concupiſcentiam carnis. *Non deſiderabis vxorem proximi tui* [g].

Vbi notandum † quod *ſub tertio præcepto*, præcepta Eccleſiæ includuntur; & *ſub quinto*, octauum complectitur; *ſub ſexto*, nonum; *ſub ſeptimo*, decimum. In quibus etiam interdicuntur peccata mortalia: *Superbia* in 1. & 4. vbi præcipitur adoratio Dei, & honorificatio

z Exod. 20. Leuit. c. 23. Catech. in præcepto, Memento, vt diem &c.

a Catechiſm. in præcep. honora patrem & matrem &c.

b Exod 21. Trident. ſeſſ. 14. c. 7.

c Catechiſ. in hoc præcepto, & habetur 32. q. 4 c. meretrices, & 36. q. 1.

d S. Tho. 2. 2. q. 122. ar. 6 habetur etiam, 14. q. 5. & q. 6.

e 22. q. 2. per totum, & Magiſt. Sent. li. 2. d. 38.

f Ambroſ. l. de off. Intentio, operi nomẽ imponit.

g Catechiſ. in præcepto, Non concupiſces.

proximi. *Accidia*, in tertio: nam in ſanctificatione Sabbathi, attētio mentis ad Deum continetur. *Gula*, quæ Luxuriæ coniungitur, in ſexto inhibetur. *Inuidia*, & *Ira*, in cohibitione homicidij, & teſtimonij. *Auaritia* vero in ſeptimo, & decimo præcepto damnatur.

9 Denique † cum moralia ſuapte natura iuſtitiæ innitantur, ſemper obligant, vt D. Thomas & Theologi docēt [h], quia ſunt dictamina rectæ rationis, quæ in homine; cui eſſentialis eſt, extingui, aut mutari nequit. Vnde ſequitur omnia præcepta, tam in ſecunda, quam in prima tabula, implicitè, aut explicitè contenta, eſſe prorſus indiſpenſabilia: nam Pontifex Maximus, Dei leges non valet mutare, nec naturales, cum *ſemper* & *ad ſemper* obligent [i]. Repugnat quidem in præceptis naturalibus, ex parte rei diſpenſatio, habent enim innatam iuſtitiam, & ſunt à natura ſua *præcepta, quia bona, & probibita, quia mala*: & ipſe Deus, cum ſit ſumma iuſtitia, ipſam ſubuerteret, & contra ſeipſum faceret, ſi ſuper ipſis diſpenſaret, vt Theologorum ſchola reſoluit, [k] nam vt ait Apoſtolus [l], *Deus fidelis eſt, qui ſeipſum negare non poteſt*. Sed ſi obijcias Deum præcepiſſe Oſeæ accipere meretricem, Abrahæ filicidium, Iſraelitis depredari Ægyptios, & ſimilia. Ne ingentia, variaq; euol-

h D. Tho. 2.2. q. 104. ar. 3. & q. 100. ar. 4. & DD. in 4. ſent. d. 37.

i §. his ita d. 6. facit 25. q. 1. c. ſunt quidam. Archidiac. de pœnit. d. 6. Abb. in c. litteras de reſtitut. ſpoliat.

k D. Tho. 1.2. q. 100. Altiſiod. l. 3. tr. 7. q. 5. Domin. Soto de iuſt. & iur. l. 2. q. 3. art. 8. Ludo. Molina 1.2. q. 100. ar. 8.

l 2. Timoth. 2.

uas volumina, ſic ex doctrina Dominici Soti, reprobantis hallucinationem Scoti, Ochã & Durãdi, reſponſum accipe [m].

Duplex eſt Dei poteſtas in mundum vniuerſum: prima, qua vt Creator, eſt Dominus omnium bonorum, corporum, & vitæ. Secunda vt Legislator eſt vniuerſalis omnium Iudex. Quatenus Legislator duntaxat (ſuppoſito quod non eſſet, vt eſt rerum Dominus) neutiquã valeret diſpenſare, vt quis rem vſurparet alienam, inuito innocenti domino: nam hoc adeò iniquum eſt, vt iuſtè fieri nequeat. Sed quatenus vniuerſalis Dominus, poterit rem vnius, ipſo inuito, alteri tradere, abſque vlla ratione diſpenſationis. Quia ſi pater, veſtem filioli, alteri tradit, non diſpenſat in furto, nec capiens, furatur, licet inuitus filiolus expolietur, quia Pater eſt verus dominus. Pari modo licet Deus vaſa, & bona Ægyptiorum, & poſtea terrã promiſſam, tradidiſſet Iſraelitis, neutiquam diſpenſaſſet in furto; nec furtum eſt, ſed potius legitima ablatio, quia à ſupremo Domino, fuit facta donatio. At in traditionibus illis, non vſus eſt Deus, abſoluta poteſtate Domini, ſed legitima Iudicis auctoritate. Nam, quoniam de laboribus, quos Hebræi impenderant Aegyptijs, nullam recepiſſent mercedẽ; Iuſto iudicio illam eis Deus perſoluit;

m Soto vbi ſupra, refutans ſent. Scoti, in 3. ſent. d. 17. & Ocham. 2. ſent. diſt. 19. & Durandi in 1. ſent. diſt. 47. q. 4.

& propter execranda Chananæorũ ſcelera [n], pepulit eos ſuis ſedibus, in quas Iſraelitas induxit. Et quando Iudex, criminoſum, licet inuitum, ſuis bonis priuat, neutiquam in furto diſpenſat. Solũ enim in prohibitione furandi, interdicitur id quod Ius naturæ vetat, nempe innocentem inuitum, auctoritate priuata, ſuis bonis nudare. Oſeæ vero, præcepit Dominus [o], vt meretricem in vxorem acciperet, & ſic poſt matrimonium non fornicaria dicetur. Idem ſentiendum de hiſtoria Abrahæ[p], potuit enim Deus, quia Dominus eſt vitæ, illam tradere in poteſtatem Abrahæ; ſicuti pecoris dominus, poteſt eius vitam cui voluerit concedere. Et cum Iudex tradit reum carnifici, non diſpenſat in homicidio, quia prohibitio non extenditur ad occaſionem illam, immò illam præcipit, ſicuti neque eſt diſpenſatio, quod quiſque inculpata tutela, inuaſorem interficiat, quia id natura non vetat. Vnde, ſi homo eſſet dominus vitæ ſuæ, ſicut ſuæ pecudis, citra diſpenſationem poſſet alteri facere facultatem, vt ſe occideret: & quia iſto modo, Deus eſt Dominus, citra diſpenſationem potuit tradere filium patri iugulandum. Quin verò, vt peracutè D. Thomas tangit, non ſolum tanquam Dominus, ſed tanquam Iudex, poteſt innocentem à culpa

n Deuter. 9.

o Oſeæ 1.

p Geneſ. 22.

actua-

actuali occidere: nam ratione præuaricationis Adæ, omnes incurrimus pœnã mortis, quam idcirco, morbis & fortuitis caſibus, à nobis indies poſcit.

De Cæremonialibus.

CÆremoniæ, † in plurali, vt omnes ſcribunt, vel etiam in ſingulari, 10
vt Cæſar, & Macrobius vtuntur,[a] (à *Cerere* Dea frugum, [b] vel à *Carendó*, [c] vel à *Cære* oppido dictæ; [d] quo Roma à Gallis capta, Deorum ſimulacra recondita fuere) *ſunt externi in ſacris ritus, moreſque*. [e] Vnde Cæremonialia præcepta, ſunt determinationes diuinæ legis, ad Dei cultum pertinentes, vt ſacrificia, & ſolemnitates Iudæorum. Cum enim Deus, homines ſecum copulare intendat, vt, hi, poſtpoſitis terrenis, ad ipſum animos extollerent, per externas ſolemnitates & ritus, ſicuti per internos fidei, ſpei, & amoris actus; illa cæremonialia præcepta, in lege veteri
inſtituere dignatus eſt: quæ †, non ſunt 11
ſimpliciter de Iure naturæ; *præcepta, quia bona, aut prohibita, quia mala*, vt moralia: ſed ex diuina duntaxat inſtitutione vim habent, ſicut in Republica humanæ leges; *Ideo bonæ, quia iuſſæ, & malæ, quia prohibitæ*: quæ nihil referebant, vt ait [f] Ariſtoteles, prius quam

a Cæſar lib.7.bell.Gall. Macrob.l.2.c.3.
b Cic.in Verrem.
c Macrob.vbi ſup.
d Liu.lib.5. Valer.max lib.1. in princ.
e Cap. non eſt §.is,itaque,& ibi gloſſ.6.diſt.& 45. diſt. c. qui ſyncera. Auguſt.epiſt.59.ad Paulinum. Dionyſ. cæleſtis hierarch. c.7.
f Ariſt.5.ethic.c.7.

conſtituerentur, & conſtituta referunt. Omnis enim humana, vel poſitiua lex, non per modum concluſionis, ex vniuerſalibus naturæ principijs, deducitur, ſed humano arbitramento conſtituitur. Sic etiam cæremonialia (quæ differunt à moralibus, veluti ea quæ ſunt merè poſitiui Iuris, & ea quæ Iuris naturæ ſunt,) deriuantur, à generalibus naturæ præceptis, per modum ſpecificationis, hoc eſt determinationis generis ad ſpeciem: vt *Deum fore colendum*, natura dictat, non vero docet, *quo ritu*. Hoc autem, Deus arbitratu ſuo, per ſe ipſum Hebræo populo exhibuit, Sacrificiaque, & Cæremonias iuſſit, quibus figuratim, eundem venturum Meſſiam, colerent. Vnde † cum hæc antiquæ le-
12 gis *Sacramenta, Ritus, & Cæremonialia*, vmbra, & figura, futuræ veritatis eſſent, non conferebant gratiam, ſicuti noſtra, [g] quæ ab eodem Chriſto, gratiæ auctore, eam obtinent; iuxta illud Ioannis [h]: *Lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Chriſtum facta eſt*. Nec ſuapte natura, ideſt propria ratione obiecti, aliquid iuſtitiæ continebant; nam vitulos, capros, aut paſſeres, hos, vel illos, deſtinato numero ſacrificare; non per ſe magis refert, aut iuſtum eſt, quam alia quælibet animalia occidere. At vero, quatenus à Deo præcipiebantur;

g D.Tho.3.p.q.62.ar.6.
h Ioann.1.

iuſtitiam continebant: ac etiam ſecundum ſe in generali, quia per ea exhibebatur Deo cultus, vt hoc tempore fit per thurificationes, aliasq; Eccleſiæ cæremonias. Ideoq; D. Thomas [i] de his præceptis ait, quod non iuſtificabant, niſi ex deuotione, & obedientia facientium.

i D. Thom. 1.2. à quæſt 101. ad 103. hæc diffuſe tractat.

13 Vniuerſæ † Hebræorum Cæremoniæ, quæ variæ, multiplicesq; fuere, quadrifariam duntaxat diuiduntur. Primum *in Sacrificia*, quibus Deus colebatur, & venerabatur. Secundum *in Sacra*, quæ erant vaſa, templum, candelabra, aliaq; inſtrumẽta diuino cultui dicata. Tertiũ *in Sacramenta*, hoc eſt Circunciſionẽ, & conſecrationes, quibus, vel populus ſanctificabatur, vel conſecrabantur miniſtri. Quartum *in Obſeruantias*, eorundem miniſtrorum, quantum ad cibos, veſtimenta, & alia, vt ſic à cæteris diſtinguerentur. His quatuor ſpeciebus, ſub vno Cæremoniarum genere contentis, non deerant ſuæ literales, & myſticæ cauſæ, ſed cum earum inueſtigatio ad Theologos attineat, ſilentio inuolui conſentaneum duxi.

De Iudicialibus.

14 IVdicialia † præcepta, quæ à Iudicio, nuncupantur, [k] *Sunt determinatio-*

k Cic. 1. de inuent.

nes iuſtitiæ , inter homines obſeruandæ ,

tate prouectæ, Reipublicæq; ciuili, inſtituenda commiſſit, quæ impropriè *Ius diuinum*, & proprius *Ius humanum poſitiuum* dicuntur. [n] At in veteri lege, per ſe ipſum, rudi populo Hebræo cuncta exhibuit.

n Cap. non debet de conſanguin. & affin. Iate Abb. in c. licet ex quadam de teſtib.

15 Hæc † Iudicialia præcepta, cum Reipublicæ adminiſtrationem reſpiciant, in quatuor ſunt diſtributa membra; ſecundum tot inſignes Reipublicæ partes. [o] Primum, informat Principes, in ordine ad ſubditos; & ſubditos in ordine ad Principes, qualiter ſe gerere debeant. Secundum, perdocet ſubditos inter ſe conuenire, ad quod omnes contractus, & malefactorum ſupplicia diriguntur. Tertium, ordinat populum ad exteras gentes, circa modum dimicandi, conuerſandi, peregrinoſq; ſuſcipiendi. Quartum familiam domeſticam conciliat, vt bene ſe habeant domini, famuli, vxores, & filij; totaq; ſic Reſpublica in pace, & quiete gubernetur. De quibus omnibus, latæ ſunt diuinitus in veteri teſtamento leges.

o Ex doctr. Ariſt. 2. Pol.

16 Demum † nota, quod cum *Iudicialia*, non ad diuinum cultum, ſed ad pacificum inter ciues conuictum dirigantur, apparet non decuiſſe, quod ſigna, aut prognoſtica fuiſſent venturi Chriſti, ſicuti *Cæremonialia*: quæ cum populi ſanctitatem reſpicerent, ex futuro Meſ-

ſia dependentem, ipſum præfigurabant: nec eadem ratione, ſic prorſus euacuari, & extingui debere, poſt Chriſti Reſurrectionem, vt *Cæremonialia.* Cui dubitationi, reſpondet Apoſtolus, [p] quod, *omnia in figura contingebant illis*, & quia totus ille populus, Chriſtũ expectabat, ſic tota lex, & quælibet eius pars, aliquã Chriſti vmbram præfigurabat; & ex conſequenti, præſente veritate, tantopere extincta fuere, vt nullatenus remanerent obligatoria. Sed *Iudicialia*, etſi nequaquam obſeruari debeant, potuere nihilominus, pro ratione dicta, in noua lege inſtitui, vt in decimis, [q] talionis legibus, & ſimilibus, factum videmus. *Cæremonialia* vero, in totum euacuata, & extincta ſunt; vt nec denuo inſtitui valeant, quia deinde facta mendacia remanſere.

p 1.Corinth.10.

q Leuit.c.vlt. Deut.18. præcipitur ſolutio decimarum.

De lege Euangelica.

17 IVs † nouum diuinum, vel nouum teſtamentum, *eſt quod in Euangelio continetur.* Euangelium vero, dicitur ab *eu*, ideſt bonum, & *angelo*, ideſt nuncio, quaſi bonum nuncium. [r] Haud immerito quidem ſic appellatum, cum à Chriſto Domino, & Legiſlatore noſtro, veraciſſimoq; æterni Patris Filio, nobis allatum fuerit illud ſalutiferum

Cic. ad Attic. l.1. Ximenez Arias in Lexicone Eccleſ. Calepin. in dictionario.

redem-

redemptionis nuncium, cum promiſſione æternæ hæreditatis. Vnde *lex Euangelica* nuncupata eſt; cuius commendatio, atque notitia, ex differẽtijs inter ipſam, & veterem legem, venit perpendenda [f].

[f] Differentia inter Nouum & Vetus Teſtamẽtum, ex D. Thom. 1. 2. à q. 99. vſque ad 108 Magiſtro Sent. l. 3. d. 40. & vlt. & ibi Bonau. art. 1. q. 1. & alijs DD. Alexander de Ales, in 3. p. ſuæ ſummæ, q. 28. Sot. de iuſt. & iur. l. 2.

Primo, à *cauſa* † *efficienti*, ſeu dignitate Legiſlatoris, miniſtriq; legis, differẽtia ſumitur. Nam illa vetus, *per Moyſen* data eſt: Euangelica vero, *per ipſum Ieſum Chriſtum, Redemptorem noſtrum,*
verum Deum, & hominem, [t] quare illa 18
Moſayca; hæc autem *Chriſtiana*, nuncupantur.

[t] Ad Hebr. 1. Ioan. 1.

Secundo, *ratione ſubiecti*, nam lex vetus, *in lapideis tabulis* ſcripta fuit, Euangelica vero, *in tabulis cordis carnalibus*, vt ait Apoſtolus, [u] & ſic illa *ſcripta, & corporalis dicitur*, hæc vero, *indita, & ſpiritualis*, iuxta illud, [x] *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me, à lege peccati, & mortis*.

[u] 2. Corinth. 3. Auguſt. lib. de ſpirit. & liter. c. 21.
[x] Ad Rom. 8.

Tertia differentia, ex hac ſecunda 19
promanans, ſumitur † à *modo edocendi*; nam lex antiqua, data eſt *in tabulis ſcripta*, vt ſubditi, ipſam legendo, per intuitum edocerentur, noſtra vero, à Chriſto, *viua voce* inuulgata eſt, vt per auditum perciperetur, qui docendi modus, ſecundum Ariſtotelem [y] præſtantior eſt, quoniam *auditus*, ſenſus eſt diſciplinæ. Et ſic Chriſtus D. N. nihil

[y] Ariſtot. lib. de ſenſu & ſenſ.

Apo-

Apoſtolis tradidit in ſcriptis, ſed poſtea, ne labente tempore, poſſent Orthodoxa præcepta, memoria labi, per accidens ſcripta ſunt [z].

Quarto differunt etiam, quod illa in monte cum tonitruis, & coruſcationibus data eſt, [a] noſtra vero in igne amoris effulſit in die Pentecoſtes. Illa, *comminabatur*; noſtra vero, *allicit*. Quocirca lex illa, *ſeruorum, & timoris*, hæc vero, *filiorum, & amoris* inſcribitur.

20 Quinto, quod illud teſtamentum *præmia temporalia, & caduca*, promittebat, [b] noſtrum autem *ſempiternam fælicitatem* pollicetur [c].

Sexto, differt vetus lex, à noua, *ratione figuræ*. Nam illa condita fuit, ad communiendam, præparandamq; viam in terris venturo Chriſto, vt ait Auguſt. [d] *Vita illius populi, prophetica erat, & Chriſti figuratiua*, & Apoſtolus; *Omnia in figura contingebant illis*, quæ præparatio conſiſtebat in *præconio*, hoc eſt, Prophetarum oraculis [e], & in *præſagijs*, ſcilicet Cæremonialium, quæ vmbra erant futurorum: nam *omnes Patres noſtri* (vt ait Apoſtolus [f]) *in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari; & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt; hæc enim omnia in figura facta ſunt noſtri*. Erat etiam lex illa, quaſi noſtræ inchoa-

z Chryſoſt. in prologo ſuper Matth.

a Exod. 20.

b Deut. 28.

c Matth. 5.

d Auguſt. contra Fauſt. Apoſt. 1. Corinth. 10.

e Lucæ vlt. neceſſe eſt impleri omnia, quę ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis, de me. & Ioan. 5. Si crederitis Moyſi, crederitis & mihi.

f Apoſt. vbi ſupra.

tio,quatenus Hebræũ populum,ab idolorum cultura retraxit, cultuiq; vnius Dei addixit: *Priuſquam veniret fides*, (Paulus ait[g]) *ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem,quæ reuelanda erat.* Vnde lex illa, *figura & vmbra noſtræ* fuit; noſtra autem, *veritas illius*, illaq; *vmbratilis*,hæc vero *patens*,dicenda eſt. g Ad Galat.3.

Septimo,*Ratione † ſignificationis*. Nã licet vna, eademq; fides,illis, ac etiam nobis neceſſaria eſſet ad animarum ſalutem, illi tamen *implicitè* credebant, & expectabant futura; quæ nos iam *explicitè* habemus,& confitemur. 21

Octauo, *Ratione perfectionis* expenditur. Quamuis enim illa lex vetus,ſecundum Apoſtolum[h] *ſancta, iuſta, & bona erat*, Sancta quoàd cæremonialia; nam illud *ſanctum*, quod Deo dicatum eſt.Et mandatum *iuſtum*, quoàd iudicialia: & *bonum*, hoc eſt honeſtum, quoàd moralia; non tamen vndequaque abſoluta fuit & perfecta: quia nondum Chriſtus auctor gratiæ, & legis perfectio, aduenerat. Et cum quæcumque opera nec in veteri, nec in noua lege, per ſe valeant iuſtificare (ideſt peccata dimittere, quia opera naturalia ſunt) remiſſio vero peccatorum,ſupranaturalis ſit,& fieri nequeat,niſi per gratiam Dei; ſoluſq; Chriſtus, noſter legislator, ſit cauſa, & fons perennis gratię,qui eam nobis me- h Rom.7.& 1.Timot.1.

ruit in cruce, vbi pro nobis Deo Patri ſatisfecit; hinc fit, quod lex vetus, eiuſq; ſacramenta, cum Chriſtus nondum fuiſſet paſſus, non erãt inſtrumenta, quibus realis paſſio applicaretur; ſed *infima egenaq; elementa* [i], & ſic non iuſtificabant veluti noſtra, quibus mediantibus, paſſio iam exhibita, nobis applicatur, & iuſtificamur: *Lex per Moyſen data eſt*, (ait Ioãnes [k]) *gratia & veritas per Chriſtum facta eſt*. Eſt ergo differentia, quod illi non per legis opera ſaluifiebant, ſed *per fidem futuri Chriſti*, in quem omnia eorum opera, referebantur: nos vero, *per fidem eiuſdem Chriſti præſentis in noſtra lege, & per ſacramenta, quæ gratiam quam ſignificant, continent* [l], ſalui efficimur. Quapropter lex illa *operum, aut factorum*, dicebatur; quia præſertim in factis illis, puta in cæremonijs, poſita erat. Noſtra vero, per antonomaſiam *lex fidei, & gratiæ* appellatur: quia præcipue conſiſtit in interna fide, & gratia, quam abundè Spiritus Sanctus in nos effudit. *E*t ipſe Deus per Prophetam dixit [m], *Dedi eis præcepta non bona*, cæremonias denotans, quæ non appellauit *mala*, ſed *non bona*, ideſt *non perfecta*, neque per ſe gratiam conferentia: nam gratia in circuncisione, alijsq; operibus, à fide Chriſti venturi proueniebat.

22 Nono differunt, quod † lex noſtra

i Apoſt. ad Galat. 4. etiã ad Hebr. 7. ait. Nihil ad perfectum adduxit lex.

k Ioan. 1. Paul. ad Tit. 3

l Concil. Florentin. ſub Eug. IV. in decreto de Sacram. Trid. Concil. ſeſſ. 7. can. 6.

m Ezech. 20.

explicatiora continet præcepta, quam illa; cùm interiores actus expreſſius prohibeat, legitimum intellectum depromendo, quem phariſei deprauauerant; docentes in homicidij & adulterij prohibitione, factum duntaxat, non animum compeſci. Quod Chriſtus ampliori modo expoſuit; etiam animi affectiones illic cohiberi docens, & pro tutiori præceptorũ obſeruatione, cautelas adhibuit, vt, *non iurare omnino, neque per cælum*, &c. niſi neceſſitate vrgente.

Cõſiliorumq; perfectionẽ ſuperaddidit quæ decima differentia eſt. Nam multa ſunt de Iure naturæ conſilia, quæ nedum ſub lege ſcripta, ſed etiam ante illam, ſemper fuerunt virtutis officia. Quamobrem cum hæc lex noſtra, non de iuſtitiæ actibus duntaxat, verumetiam de vniuerſarum virtutũ operibus, ex æquo præcepta ponat, ea virtutum opera, quæ ad neceſſarium rationis ordinem ſpectant, *ſub reatu culpæ* iubens; reliqua quæ ad virtutum perfectionem, ornatumq; attinent, *ſub conſilijs* admonere voluit; vt iuueni aſſerenti obſeruaſſe præcepta, datum fuit à Chriſto conſilium, quod omnia quæ habebat, ſi perfectionem deſiderabat, venderet, ipſumq; ſequeretur. Conſilia omnia, ad tria reducuntur genera, *paupertatis* ſcilicet, *continentiæ, & obedientiæ* aduerſus illa

tria temporalium genera, nempe *concupiſcentiam carnis*: *concupiſcentiam oculorum*, & *ſuperbiam vitæ*. Cum enim, animum ab illis penitus diuellere, ſic ægrè feratur, quod non cunctis, neque multis ſit poſſibile: Chriſtus D. N. qui omnia ſuauiter diſpoſuit, hæc ſub conſilio, cuiusq; optioni, relinquēda iudicauit, vt qui capere poſſet caperet, ſi perfectionem vellet adipiſci.[n] Per *paupertatem* autem, abdicamus à nobis oculorum concupiſcentiam, hoc eſt facultates, ac diuitias. Per *continentiam*, concupiſcibilia oculorum, hoc eſt tactus delicias. Per *obedientiam*, oculorum ſuperbiā, hoc eſt honores, & mundi faſtus.

n Matth. 19.

23 Vndecima differentia † ſumitur *ex natura præceptorum*: Grauior quidem erat lex illa; hæc vero noſtra leuior, ac ſuauior; Cum ſolum præcipiat opera, neceſſariam connexionem ad gratiam habentia, & quæ illi obſtant, prohibeat. Totaq; in Moràlia, Sacramēta, & Conſilia, reſoluitur. *Moralia*, cum ſint Iuris naturalis, haud præcipi nequibant, nec rigida videri debet interni motus prohibitio, cum ad cauendum opus ſit ſuauior. *Sacramenta* vero, manifeſtè eleuant veteris legis onus, ſarcinamq; Cæremoniarum ac Iudiciorum: nobisque adhibita ſunt, vt per gratiam quam conferunt, opem ferant ad implendum

legem,

legem, quod per nos implere non ſuffi-cimus. Quæ proinde præcipi conuenientiſſimum fuit, ne legislatoris prudentia in neceſſarijs deficeret. *Conſilia* autem Chriſtus docuit eſſe ad perfectionem ſaluberrima: noluit tamen fore obligatoria. Cætera vero, quæ neceſſariam connexionem ad gratiam non habent, veluti *Cæremonialia, & Iudicialia*, non decuit quod à Chriſto peculiariter erudirentur, ſed ſufficiens fuit, quod Reipublicæ Ciuili, & Eccleſiaſticæ committerentur. Quia Chriſtiana familia ætate, & prudentia, prouectior erat Iſraelitica;[o] atque eo potiſſimum, quod munus illud, Chriſtus Spiritui ſancto dimiſſit, quem venturum pollicitus eſt, vt eandem ſanctam Eccleſiam doceret omnem veritatem. Diſcite quæſo quãta ſit noſtræ legis maieſtas, bonitas, ſuauitas, ac dulcedo.

o Ex Doctrina Apoſt. ad Galat. 3. & 4.

Duodecima differentia conſideratur *ratione durationis*, Nam illa lex, cum non eſſet in perpetuum poſita, ſed venturi Chriſti figuratiua, vſque ad Euangelicam duntaxat erat duratura: quia *trãslato ſacerdotio* (vt Paulus ait[p]) *neceſſe eſt, vt & legis translatio fiat:* & inferius: *Nouum teſtamentum, veterauit prius*. Et ſic in totum ceſſauit, quoad Cæremonialia, & Iudicialia (quæ nullatenus poſt Euangelij promulgationem,

p Ad Hebr. 7. & 8.

ſub peccati, hæreſisq; reatu obſeruari poſſunt,) Moralia, autem deinceps, nullam obligandi vim habuere, virtute Moſaycæ legis, quæ tunc antiquata fuit; ſed quatenus præcepta Iuris naturæ ſunt. Euangelica vero lex, vſque ad finem mundi perſiſtet, nullaq; illi ſuccedet, quia nulla eſſe poteſt in mundo præſtantior, cum hæc *à Chriſto vero Deo, & homine oriatur*, qui eſt eius Legislator: *per Chriſtum conſeruetur*, mediante eſca, & potu ſui corporis, & ſanguinis: & *in Chriſtum dirigatur*, qui eſt vltimus finis, & animæ requies; & qui hæc aſſeuerat, in hæc verba. [q] *Dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant;* quod Chryſoſtomus, de generatione fidelium interpretatur, quorum ſtatus vſque ad mundi finem perdurabit. Quocirca lex illa *temporalis*, eſt; noſtra vero *perpetua*.

q Matth. 24. Marc. 13.

24 Decimotertio *Ratione* † *vniuerſalitatis;* quia illa, *hebræo tantum populo* data fuit, qui ſolus erat obligatus ad illa peculiaria inſtituta, legi naturæ ſuperaddita: Euangelica vero noſtra, *vniuerſis mortalibus* eſt data. Nõ quidem oportuit, legem, quæ figura erat noſtræ, tanta ſimilitudine ei reſpondere, vt eſſet tã vniuerſalis: immò decuit illi populo, (ex quo Chriſtus carnem aſſumpturus erat) ſpeciatim conſtitui [r] vnde illa,

r Ad Rom. 9.

par-

particularis, noſtra vero, *vniuerſalis* dicenda eſt.

Decimaquarta, & vltima differentia eſt, quod teſtamentum illud, cælorum valuas reſerare non valebat: noſtrum vero, eas, illuc vſque obtruſas, omnibus patentes præſtat. Indeq; teſtamentum *Regni cælorum* dicitur: illud vero *Regnorum temporalium*, quorum, illi populo, tanquam puero, munuſculis præſentaneis alliciendo, fuit à Deo facta promiſsio, & data poſſeſsio. Euangelicæ, vero familiæ, veluti prudentiori, & iam Dei charitate firmiori, brauium ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu conſtituitur,[r] inexplicabilesq; cælorum fælicitates deſtinantur, obſeruato in hoc naturæ ordine; quæ ab imperfecto, progreditur ad perfectum, vt embrio qui ſecundum Philoſophum, prius animali, quam rationali fruitur vita. Sic Chriſtus D.N. in ferenda gratiæ lege, progreditur per puerilem ætatem Hebræi populi, ad virilem orthodoxæ familiæ. Vt non ſit prius quod ſpirituale eſt, vt ait Apoſt.[t] ſed quod animale.

25 Demùm † illa vetus lex, (in qua noua continebatur, non actu ſicut locatum in loco, ſed virtute vt animal in embrione,) abſolutiſsime completa fuit *Verbo, & opere*, per Chriſtum, *factum ſub lege*, ſecundum Apoſtolum,[u] qui circunciſus

[r] Ad Philipp. 3.

[t] Ad Rom. 8.

[u] Ad Galat. 4.

fuit, templo oblatus, aliaq; perſoluit legalia: Omniaq; antiqua præcepta perfecit, & ipſam veterem legem, per Euangelium excluſit, non tamen deſtruxit: Quod tempore paſsionis in verbo, *Conſummatum eſt*, [x] quando *velum in duo ſciſum* [y] factum fuiſſe dicitur, quia tunc perſolutum eſt redemptionis prætium, apertumq; regnum cælorum. Sed cum illa vetus lex, inſuper etiam reſurrectionem in noua vita præfiguraſſet; legum confinium quo illa deſijt, ac noſtra cæpit, à *reſurrectione*; [z] promulgationem vero, a *die Pentecoſtes*, (quò Apoſtolis data eſt, ex alto ad hanc functionē, virtus neceſſaria,) fuiſſe iudicabimus.

x Ioann. 19.

y Matth. 27.

z Ex Doctr. D. Tho. 1. 2. à q. 104. vſque ad 108. Ricard. in 4. ſent. d. 3. ar. 5. q. 3. Adria. in 4. ſent. q. 1.

Vbi pro clariori prædictorum cognitione perpendendum conſulo, diuiſionē diuini Iuris, ſectione 4. factam, in *naturale & poſitiuum*, ad hunc quoque locum attinere, videlicet, quod *diuinum naturale*, in veteri & noua lege; ſunt præcepta Decalogi. *Poſitiuum* vero † ſubdiuiditur in poſitiuum à Deo, & Poſitiuū ab homine. *Poſitiuum à Deo*, ex præceptis cæremonialibus antiquæ legis, & ſacramentalibus nouæ, ac pleriſq; alijs vtriuſque teſtamenti; manifeſtum eſt. *Poſitiuum ab homine* ſunt reliqua præcepta, ab hominibus lata, accepta ad hoc a Deo poteſtate, pro miniſterio, aut dignitate. Vnde ſequitur, Apoſtolorum

26

præ-

præcepta (quatenus Paſtores & Rectores Eccleſiæ lata) Pontificumq; & Conciliorum ſtatuta, propriè ad *humanum Ius* pertinere, [a] largoq; modo ſumi Canonicum Ius; quando *diuinum* appellatur [b], licet verum ſit, quod diuino conſtat iure [c].

De Iure Cæſareo, vel Ciuili.

SECTIO IX.

SVMMARIVM.

1 *De neceſſitate humani Iuris.*
2 *Cur prius de Ciuili, quam de Pontificio agimus.*
3 *Ciuile Ius vnde dicatur, & quid ſit.*
4 *Quod bifariam accipitur.*
5 *An conſenſus duarum perſonarum priuatarum conſtituat Ius.*
6 *Ciuile Ius, protendit latius naturale, ipſiq; in omnibus innititur, videlicet in perſonis, rebus, & actionibus.*
7 *Quod circa operationes Ciuile Ius, à naturali trifariam differt.*
8 *De Iuris Ciuilis diuiſione in ſcriptum & non ſcriptum; & de voluminibus ſcripti Iuris.*
9 *De etymologia, ſubſtantia, & libris Inſtitutionū.*
10 *Digeſta vnde dicantur, quid contineant, & quot ſint.*
11 *De Codice, & numero librorum eius.*
12 *De libro Authenticorum, & paruo volumine.*
13 *De cauſa efficienti, materiali, formali, & finali Iuris Ciuilis, ac de eius ſubiecto.*
14 *De Iure publico, & priuato.*
15 *De pluribus alÿs Iuribus.*

LICET naturale Ius, mentibus hominum inſculptum; ſimplex, pau-

a Cap. non debet, de conſang. & affinit. latè Abb. in c. licet ex quadam de teſtib.
b Abb. in c. nimis de iureiur.
c Probatur in c. qualiter 2. de accuſat. & not. per Abb. in c. 1. de trāſl. Epiſcop.

ciſq; præceptionibus contentum eſſet ; ſic per Prothoparētis lapſum, corruptos affectus contraximus, naturaliſq; ratio extenuata & obſcurata remanſit ; quod neceſſarium fuit, à Deo ipſo, viua voce, præcepta naturalia in Decalogo renouari ; vt à nobis rectè perciperentur, ad ſemitamq; lucis, & veritatis perduceremur. † Et quamuis ſat erat hoc Ius, ad optimam vitæ conſuetudinem, beatèq;
1 vixiſſemus, vt Cicero ait, * Si naturam ducem ſequeremur: attamen pro rerum varietatibus, emergentibusq; caſibus, ac negotijs, tum etiam, quia quod iuſtũ & laudabile eſt, multi hebetes, nõ intelligunt, vel improbi, diſſimulant, decuit poſitiuum aliud Ius præter naturale ex deliberatione humanæ voluntatis condi. quo mediante naturales notitiæ latius ad humanas functiones applicarentur, & per ſingulorum circunſtantias diſtribuerentur, ita vt agenda, fugiendaq; ſub pœna in ſcriptis tradita, omnibus innoteſcerent : ne peccantibus daretur excuſandi locus, impunèq; abirent, & vt boni, ſublatis improbis pacificè vixiſſent, vt Ouid. cecinit [a].

*Cie. de natur. Deor. l. 1 Paul. Manut. l. 6. antiq. Roman.

a Ouid. l. 3. Faſt.

Inde latæ leges, ne fortior omnia poſſet
Cæptaq; ſunt purè; tradita ſacra coli.

2 Hoc poſitiuum ius † diuiditur in Canonicum, & Ciuile: quia duo ſunt perſonarum genera, Clericorum ſcilicet, &

Laico-

Laicorum. [b] De *Canonico* inferius agemus, nam licèt ab eo prius, tanquam excellentiori, & digniori, eſſet nobis proficiſcendum, in finem tractandum omittitur, vt finis coronet opus: & quia ea quæ vltimo dicuntur, magis memoriæ commendantur [c].

3 CIVILE † Ius, à Ciuitate dictum, *quæ nihil aliud eſt*, [d] *niſi cœtus hominum iure ſociatus*, ab Ariſtotele [e] *politicum* appellatum, nunc vero per excellentiam pro Romano Iure acceptum) ab Vlpiano [f] diffinitur eſſe, *quod vnaquæque Ciuitas ſibi ipſa conſtituit*. Cicero vero in Topicis, Ius Ciuile, *æquitatem conſtitutã ijs qui eiuſdem ſunt ciuitatis, ad res ſuas obtinendas*, deſcribit. Iſidorus [g] autem, Ius Ciuile appellat, *id quod quiſque populus, vel ciuitas, ſibi proprium, diuina, humanaq; cauſa conſtituit*: quare aliud eſt Ius Athenienſium, aliud Romanorũ, &c.

4 Hic ſeſe præ manibus aduertendum offert, Ciuile Ius † bifariam accipi poſſe, vno modo *in genere pro toto iure, quo regnum, aut ciuitas gubernatur*. Sed cum vnumquodque regnum, nedum iure ſibi tantum conſtituto, vtatur, verumetiam iure vniuerſis hominibus commune, vt Naturali, & Gentium: hinc fit, vt Ciuile Ius ſic acceptum, Naturale, & Gentium complectatur, vt Vlpianus affirmat [h]. Altero modo accipitur *in ſpecie,*

b Cap. duo, 12. q. 1.

c D. Tho. 3. p. q. 73. ar. 5.

d Cic. Som. Scip.

e Ariſt. 5. eth. c. 6.

f Vlp. l. 6. ff. de iuſtit. & iur. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu. §. 1. & 3.

g Iſid. lib. 5. etym. c. 5. relatus in Decreto diſt. 1. c. 7.

h Vlp. l. 1. ff. de iuſt. & iur. §. huius ſtudij.

pro

pro iure proprio cuiuſque certæ ciuitatis. Quando autem non exprimitur propriũ ciuitatis nomen; per antonomaſiam Ius Romanum intelligitur; vnde patet ſenſus illius §.[i] *omnes populi reguntur legibus euulgatis ab Imperatore*, quod intelligitur de illo iure generali primo. Et *in verſic. Sed & quoties eo titulo: vnaquequæ ciuitas Iure ſuo proprio vtitur*, de illo ſecundo particulare loquitur: quod diſtinguitur à Iure Naturali & Gẽtium, & noſtram diuiſionẽ *ſectione 4. factam*, propriè conſtituit, mẽbrumq; eſt à cæteris Iuribus diſtinctum. Cui annectenda
5 † ſunt, oppidorum, priuatarumq; ſecularium communitatum peculiaria ſtatuta, ac etiam duarum priuatarum perſonarum, mutuus in aliquo contractu conſenſus[k], qui ſufficiens eſt ad conſtituendum iuſtum, ſeu Ius aliquod inter illos. Nam poſt rerum diuiſionem, quicumque qui iure poſitiuo alienare non ſit impeditus, aut prohibitus, *vt pupilli, & alij*, valet ſua libera voluntate, Ius, aut rem ſuam, in alium transferre,[l] vel ſe illi obligare. Continuoq; ille mutuus conſenſus, aut contractus, ſecundum ſuam qualitatem efficitur de iure *Naturali*, vel *Gentium*, vel *Ciuili*, quia ab aliquo horũ Iurium introductus eſſe debet.

Notandum eſt etiam, quod cum omne Ius humanitus poſitum, vt rectum ſit

i §. omnes populi, inſt. de iur. nat. gent. & ciu.

k Notat D. Tho. 2. 2. q. 57. ar. 2. quem ſequitur Molina de iuſt. & iur. to. 1. tr. 1. diſp. 5.

l De rebus Eccl. non alien. c. nulli. C. de furt l. 1 l. alienationis, ff. de verb. ſignif. vbi Alciat.

à Iure naturæ deriuari debeat, à quo,
quantum rationis,rectitudinisq; habere
velit,recipiat; Ciuile Ius, † (cuius ani- 6
ma ratio, cuius finis, ciuium rectitudo
eſt) naturalibus præceptis innixum, à
natura recipit fundamenta: Sed pro re-
rum & caſuum varietatibus,auctoritate
propria, latius porrigit naturæ axio-
mata,& negotijs ea accomodat. Ideoq;
aliquid Naturali Iuri addere, & diſtin
guere neceſſe habuit.

Iuri naturæ innititur,quia omnia naturæ præcepta fundata ſunt, ſuper illis principijs à Iuriſconſulto poſitis, * ſcilicet *Honeſte viuere: Alterum non lædere; Suum cuique tribuere*: & etiam quia Ciuile Ius (ſcriptum ſit, vel non) ad *perſonas res,& actiones* pertinet [m].

In perſonis, conſiderantur ſtatus, ordines,& officia [n], quæ colliguntur ex 4. Decalogi præcepto.

In rebus verſatur acquiſitio, conſeruatio, alienatio [o], quæ oriuntur ex 7. præcepto,& ſeqq.

In actionibus perpenduntur auctoritas,materia, forma, exitus: quarū fons eſt 8. præceptum. Vnde animaduerſione dignum eſt, Naturale Ius, eodē pertinere,quo pertinet Ius Ciuile,*ad perſonas* ſcilicet, *res,aut actiones*: & quod diligenter inſpecta re,nulla inuenietur ciuilis ſanctio, quæ ex naturalibus noti-

* Vlp.l.10.de iuſt.& iur. l.7.ff. de legib.c. cum deuotiſſimam, 12. q.2. Cic.l.3. off. & 3.de fin.

m §. vlt. inſtit. de iur. nat. genr. & ciu. l.1.ff. de ſtatu hom.

n Inſt.de iure perſon.& ff. de ſtatu hom.

o Leg.vlt.ff.de leg.

tijs dimanaſſe, vel aliquam radicem ex eis trahere non conſtet [p]. Nam ſi in totum à natura recederet, nullamq; in eo cauſam haberet, figmentum foret, tyrannisq; dicenda eſſet. E contrario autem, ſi per omnia, naturæ deſeruiret, & nihil aliud quam quod ipſa dictat, determinaret; non *Ciuile*, ſed *Naturale* Ius eſſet. Ideoq; ab eo circa operationes trifariam differt.

p Leg. ſcire leges ff. de legibus.

7 Primo, † *addit* ſupra Ius naturale per arbitrariam determinationem, & congruos modos, commune Ius ad particulare trahens; velut artifex, formã templi in communi conceptam, ad peculiares fabricas accommodat, vt hæc, ſic, illa, aliter conſtruatur. Exempli gratia *delicta punienda fore*, natura dictat, [q] qua vero pœna, aut ſupplicio in particulari, vt quod latro ſuſpendatur, hæreticus comburatur, hoc non ſtatuit Naturale Ius, ſed ad humanũ Ciuile ſpectat id cõſtituere [r], vniuerſimq; addere noua omnino ſtatuta, quæ nec in Naturali, nec in Gentium iure contineantur, ſiue illa, Naturalis iuris determinationes ſint, ſiue non.

q Inſt. de obligat. quæ ex delict. naſc. in princ. ff. de furt. l. 1.

r Ariſt. 5. ethic. c. 7.

Secundo, cum Ius naturale pręcipiat, nemini ſubtrahi, quod ſuum eſt, Ciuile Ius *diſtinguit* actus ab illa rectitudine deuiantes, ſcilicet *actum fænerandi*, *furandi*, *&c.* Inſuper oſtendit, quomodo

quilibet illorum actuum, magis, minuſ-ue deuiet à rectitudine naturæ, & ſecundum illud, maiores, aut minores pœnas ſancit: in quo iuris naturalis confuſa, & indeterminata rectitudo, determinatur.

Tertio, valet efficere, vt aliquid liceat, quod, tali circunſtantia ſecluſa, foret contra Ius gentium: [f] exemplum eſt præſcriptio, qua completa, licitè bonæ fidei poſſeſſor aliena retinet, quod, ſecluſa præſcriptionis lege, cum præcepto pugnaret. Sed pro Reipublicæ bono, ad reſcindendas lites, & quaſi in pœnā negligentiæ dominorum, iuſtè præſcriptio ſtatuta eſt.[t] Nec iuri naturali præiudicat, quia appoſita ex parte obiecti, illa præſcriptionis circunſtantia, definit eſſe alienum, quod alienum erat, & illius retentio, non eſt contra ius naturale: [u] quo cauetur locupletatio cum alterius iniuria & detrimento; non vero habetur ex eodem iure, an poſſet euenire, vt quis fieret locupletior cum alterius iactura, abſq; eius iniuria; quod tamen Ciuile Ius, in præſcriptionibus, & vſucapionibus [x] declarat. Præterea, quomodo paſsim in libris Cæſareis, Naturalia à Ciuilibus diſtinguãtur, ab Hotomano [y] accuratè expoſitum inuenies; ipſum conſule. Quomodo autem Ius ciuile, à iure gentium differat; ſupra *Sectione 7. num.* 2. dictum eſt. Nec refert,

f Vlp. in l. ius ciuile ff. de iuſt. & iur. de hac triplici opatione. dixit, *Cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri cōmuni* (naturali ſcilicet & gentium) *ius ciuile efficimus.*

t Iuſtè poſſidet, qui auctore Prætore poſſidet, ff. de acquir. poſſ. l. iuſte.

u Ioan. And. in tract. de regu. iur. reg. poſſeſſor. nu. 12.

x Vſucapio eſt introducta propter bonum publicum, l. 1. ff. de vſucap.

y Hotomanus relatus a Prateio in Lexicone Iurium, verb. naturalia.

quod aliqua Iuris gentium, dicantur Iuris ciuilis, quia Iuris gentium ſunt *inuentione, & origine* : Iuris autem ciuilis *approbatione, confirmatione, & informatione* [z].

z Herman. Vultei. de iuriſprud. Rom. lib. 1. c. 1

8 Diuiditur † Ciuile Ius, in *ſcriptum, & non ſcriptum* ; [a] & partes ſcripti Iuris ſunt *Leges, Plebiſcita, Senatuſcōſulta, Principum placita; Magiſtratuum edicta; Prudentum reſponſa* : Quæ omnia illis libris continentur, quos corpus Iuris vocamus. Et cum hæc multa, atque varia ſint, quæ ſi per ſe conſiderentur, ſunt tanquam membra ; ſi vero coniunctim, corpus conſtituunt, ex diuerſis illis mẽbris tanquam compoſitum ; conſentaneum fore duximus, partes vel membra in ſequentem ſectionem de legibus, tractanda omitti : nunc vero de corpore ideſt voluminibus iuris, nonnulla leuiter attingere.

a Vlp. l. 6. ff. de iuſt. & iur. Inſt. de iur. nat. gẽt. & ciu. §. 1. & 3. Plato lib. 8. de Repub. Ariſt. lib. 1. Rhet. Cicer. in Partit.

Quatuor principales libros, aut volumina continet Ius ciuile, ideſt Ius illud, quò Romana ciuitas (non quæ menibus, ſed quæ eius complectitur Imperio) vel aliquando vſa eſt, vel adhuc vtitur [b] videlicet *Digeſtum, Codex, Inſtitutiones, & Authenticū*. Quibus adduntur *libri feudorum* . Huius Iuris originem & progreſſum Pomponius attigit *in l. 2. ff. de origine Iuris*, ibi videatur, ne noſtra protendatur oratio. Quo autem tempo-

b §. ſed Ius quidem, Inſtit. de iur. nat. gent. & ciui.

re

re hæc volumina in lucem edita ſint, & qualia eorum priora, aut poſteriora dici debeant, cum parum ad rem interſit, otioſis hominibus diſquirendũ omittitur: nobis enim ab Inſtitutionibus primo loco exordiendum erit: præſertim quod primo etiam loco; tyronibus Iuris, proponendæ & ediſcẽdæ ſint.

Inſtitutiones.

INſtitutiones † Iuris, aut Inſtituta, 9
(vtraque enim appellatione vſus :ſt Iuſtinianus [c], & alternatim frequen-:antur) quæ, quaſi Iuris inſtructiones, nitia, prima legum cunabula, aut elenenta ſunt, vt ipſe deſcribit [d]; quibus, n ciuilibus præceptis, vel in ſtatum umani, aut Romani Iuris erigimur [e] uatuor libris abſoluuntur; quorum nguli, ſuos habent titulos, tituli verò ıos paragraphos. *Titulus*, qui index ſt rei ſubiectæ, *rubrica* [f] etiam dicitur, o quod plerumque minio aut cocco :riptus ruberet [g], vt antiquo ſcribeni vſu receptum, teſtantur [h] Ouidius, erſius, Quintilianus, Seruius, & Iuuealis, inquiens.

Cauſas age, perlege rubras
Maiorum leges.

ıragraphus, nota quædam eſt, à Iuriſ- ɔnſultis hoc modo §. notari ſolita;

c *Inſtituta*, dixit in Conſtitutione ſua ad Senatum magnum, ff. de confirmat. §. ſed cum oportebat *Inſtitutiones* appellauit, in Conſtit. omnem in princ. & §. 1. & §. ſæpius, & in Conſtit. tanta §. omnem.

d dictis locis, & §. his igitur, ff. de iuſt. & iur. §. ſed non vſque Inſtit. de legat.

e Accur. in gloſ. in prin. Inſtit.

f Leg. 2. §. fin. ff. de interd. l. 1. ff. ſi cert. petat.

g Cuiac. in paratit. ff. de iuſt. & iur.

h Ouid. de Triſt. ſæpe. Perſ. ſat. 5. Quintil. l. 12. c. 3. Seruius in Eclo. 10. Virg. Iuuen. ſat. 14.

quà, ſententia præcedens, à ſubſequenti diſtinctionem recipiat.

Digeſtum.

10 POſt Inſtitutiones, ſequuntur Digeſta †, ſeu Pandectæ; proximè poſt eaſdem diſcendæ. *Pandectæ* dictæ, à *Pan*, quod eſt, *totum*; & *decten*, quod eſt *doctrina*; quia hic liber, totius Iuris doctrinam, à tempore Romuli, vſq; ad tempus Iuſtiniani Imperatoris, ab Vrbe Romana ſcriptam, continet; Latino autem, Iuriſconſultiſq; vſitato vocabulo, *digeſta* nominantur, quod in ea vndique quod ad Ius pertineat collectum, & digeſtum ſit [i]. Hoc modo, *ff.* notari ſolent. Vndè autem hoc dimanarit, cum parum interſit, non eſt cur nos torqueat; hoc nituntur docere Alciatus, Corraſius, & Vulteius, ipſos perlege [k].

Trifariàm Digeſtum diuiditur, ſcilicet, *in Digeſtum vetus*; *Digeſtum Infortiatum*; *& Digeſtum nouum*; quæ omnia, quinquaginta libris reſoluuntur; libri autem ſuis titulis ſunt diſtincti; tituli legibus; leges, paragraphis; atque hi etiam, ſi ſint prolixiores, ſuis verſiculis.

i Leg. 2. §. ſed cum omnia. C. de veter. iur. enucl. Azo. ac Dy. in princ. Inſtit.

k Alciat. l. 3. diſpunct. c. 16. I. Corraſ. in Miſcell. Herman. Vulte. in proleg. iuriſprud. Rom.

Co-

Codex.

TErtio loco ſequitur Codex † Iuſtinianeus, in vnum continens ſtatuta, diuerſaq; Imperatorum præcepta, quæ in tribus Codicibus, [l] *Gregorij* ſcilicet, *Hermogenis*, & *Theodoſij*, diuiſa circunferebantur. 11

In ſcribendo, litera maiuſcula. C. Codicis prima, notari ſolet. Libros habet. 12. ad exemplum 12. tabullarum. Quorum vltimi tres, raró a Doctoribus leguntur in Scholis. Et horum trium allegationes, hoc habent ſpeciale; quod ad titulum cum lege, & §. additur numerus libri; videlicet. *Cod. de dignit. leg. ſi vt proponis, lib.* 12. Allegatur etiam Authentica quæ eſt lex vna, huic Codici ſuperaddita; vt *Cod. de Epiſcop. & Cler. Auth. generaliter*.

l Quos commemorat Iuſtin. l. vnic. C. de no. Cod. fa. & l. vni. C. de Iuſt. Cod. confirm. & Iſid. l. 5. Etymol. Gregoriani codicis commemorat B. Aug. l. 2. de adult. cõiug.

Authenticum.

DIcitur etiam *Authenticum*, † vel Authenticorum [m] liber, qui quartũ occupat, principalem Iuris Ciuilis locum, In nouem Collationes diuiſus; quarum quælibet ſubdiuiditur in titulos; & tituli, non in leges, ſed in paragraphos. Differtq; ab *Authentica*, quod illa, vna eſt, Codici alligata; hic verò, per ſe vo- 12

m Vnde hanc traxerit appellationem Alciatus docere nititur. l. 2. parerg. c. 46.

12 lumen conſtituit; nouem Collationes,
plurimoſq; titulos amplectitur. Cui ad-
ditur 10. collatio, intitulata *liber de vſi-
bus Feudorum*: duos habens libros par-
tiales; quorum quilibet, ſubdiuiditur in
titulos; & hi, in capitula, & paragra-
phos. Notandum eſt etiam, quod qui-
dam liber per ſe extat, *Paruum volumen*
appellatus, continens in ſe aliquos prę-
dictorum librorum totalium, & aliquos
partialium videlicet *Authentica*, *Vſus
Feudorum*, *& tres vltimos libros Codicis.*
Hactenus de *Iure ſcripto*, cuius præ-
cepta, artis ſunt propriè. *Ius* vero *non
ſcriptum* quod minus propriè, & latiori
ſignificatione, artis nomine comprehen-
ditur, in *conſuetudine* conſiſtit [n] quæ eſt,
*Ius moribus conſtitutum, & longo vſu cõ-
probatum*: [o] de qua inferius *Sect. penul-
tima* agẽdum nobis erit. Nunc verò ad-
uertendum, quod cauſa *efficiens* † huius
13 Iuris, eſt Imperator, aut Magiſtratus:
Materialis vero in *perſonis*, *rebus*, *&
actionibus* verſatur [p] quæ in dictis libris
continentur. Vnde libri huius Iuris ha-
ctenus recepti, *materia* dici poſſunt.
Formalis vero, vel eſt *ratio*, quæ vt legũ
anima, eis dat eſſe, ipſaſq; informat: vel
eſt *forma tractandi*, puta *agendi modus*,
vt diffinitiuus, diuiſiuus, & exemplorũ
poſitiuus, Vel eſt *forma tractatus*, quæ
conſiſtit in diuiſione voluminum, in li-

bros:

n §. ſine ſcripto, Inſt. de iur. na. gent. & ciu. L. 32 & ſeqq. ff. de leg. Bodin. in Methodo Iuris vniu.

o L. diuturna. ff. de leg. l. 2. C. quæ ſit long. conſuet.

p L. 1. ff. de ſtat. hom. §. omne autem inſtit. de iur. nat. gent. & ciu.

bros : librorum, in titulos; titulorum, in legibus, &c. *Finalis cauſa*, eſt, bonos, pacificosq; homines efficere pænarum metu, & præmiorum exhortatione. Subordinatur enim Philoſophiæ Morali [q]; ſcientia huius iuris; cuius *ſubiectum* eſt *homo politicus*, conſtitutionibus legalibus dirigibilis ſimpliciter in bonum humanum : quia nihil aliud hoc Ius reſpicit, niſi vtilitatem hominum honeſtam; in primis publicam, deinde priuatam. Vnde duæ aſſignandæ ſunt partes, † circa quas, tota huius iuris diſciplina verſatur : ipſumq; hac ratione diuidimus, in publicum, & priuatum [r]. 14

PVBLICVM (quod non ad vtilitatẽ ſingulorũ, ſed totius populi, omniumq; gentium pertinet [ſ]) *in ſacris, ſacerdotibus, Magiſtratibus, & toto Reipublicæ ſtatu conſiſtit* [t]. Huius enim iuris ſunt, ſacrorum conſtitutio; legum deſcriptio; Magiſtratuũ creatio; de rebus ad Rempublicam pertinẽtibus deliberatio; premiorum & pænarum irrogatio; belli inferendi ſolemnitas, fœderis faciendi nexus, pugnæ cõmiſſio, prædæ diuiſio pro perſonarum qualitatibus, ſtipendiorum modus, dignitatum gradus, denique legum, & actionũ executio. PRIVATVM eſt *quo priuati in ciuitate vtuntur ad res ſuas obtinendas* [u] pertinet enim ad ſingulorum vtilitatem generaliter: collectũq;

q Hominum mores intendimus corrigere, ait Imperator, l.1. C. de ſecund.nupt.

r L.1.ff.de iuſt.& iur.

ſ Nam proprium eſt Ciuitatis, atque Imperij. Cic.l.1.de Orat.

t c.Ius publicum, diſ.1. Vbi gloſ.& l.1.§.Ius publicum, ff.de iuſt.& iur.

u Cic.in Top.

eſt ex præceptis Naturalibus, Gētium, & Ciuilibus: nam omne Ius vel à *natura*, vel à *moribus gentium*, vel à *lege ciuili*, conſtitutum eſt. Vnde varia Iura in
15 hoc Ciuile continentur, † vt *Ius Prætorium*, aliàs *bonorarium* dictum; [x] ſupplēdi, corrigendiq; Iuris ciuilis gratia, à Prætoribus introductum. *Ius militare*, quo milites ſoli adſtricti sũt [y]. *Ius anulorum aureorum*; vt fierent equites quibus anulus dabatur [z]. *Ius commentitium* [a] quaſi fictitium, vel recenter excogitatum. *Ius conſuetudinis*, quod in morem vetuſtas, vulgi approbatione, produxit. *Ius Italicum*, quaſi immunitas. [b] *Ius patronatus*, ideſt Ius omne, & commodum quod patronis competit. [c] *Ius paſcendi*, quod eſt ex habitatione domicilij, & cõmunitatis. *Ius prædij*, ſcilicet poteſtas aliquid agendi in alieno prædio, ab ipſius domino data. [d] *Ius togæ* quod Principes peregrinis dabant, vt ciuium Romanorum veſtitu vti poſſent. [e] *Ius ſui*, ideſt ſuæ poteſtatis, vel liberi arbitrij, quod *ſuitas*, vulgò appellatur. [f] *Ius ſingulare*, quod dicitur priuilegium: [g] quaſi priuata lex; & alia plura. Quibus ſubiungi poſſunt Iura à Theologis & Philoſopho cõſtituta, inter *patrem, & filium, dominum & ſeruum, vxorem & virum.* Scribunt enim inter hos non eſſe iuſtum *ſimpliciter* (hoc eſt Iuſtum Ciuile, quale

x L.Ius autē. ff.de iuſt. & iur. l.2. §.5. ff. de orig.iur.

y Cod.& ff.de re milit. Iſid.l.6.c.7.& d.1. cap. ius militare.

z Leg.4. ff. de iur.aur. anul.

a Leg.ſi pœna alicui ff. de pœn.

b l. vlt.ff. de cenſib.Cuiacius obſer.lib.11.c 35

c Cod.& ff.de iur. patr.

d §.Vlt.ff.de reb.corp.

e Leg.Diuus.31. ff. de iur.fiſc.

f Leg.1.ff.de liber.agn. §.vlt.Cicer.in Verrem. act.3.

g Leg. ius ſingulare. ff. de legib.

eſt inter ciues) ſed *ſecundum quid*. Quia cum Iuſtitia ſit ad alterum; [h] inter illos erit Iuſtum ſimpliciter, quorum vnus omnino ſit alter, ab alio, ſed horum, quicũque eſt aliquid alterius: nam filius, eſt quaſi pars patris; ſeruus vt talis, eſt domini poſſeſſio: vxor, quaſi vnum quid cũ viro ad generationem, & familiæ gubernationem: Ac proinde inter patrem, & filium, dicunt eſſe [i] *Iuſtum paternum*, inter dominum, & ſeruum; *Iuſtum herile*: inter vxorem, & virum *Iuſtum œconomicum*. Hæc ſufficiant, latiora in Theologis require. Nunc de legibus, quibus Ciuile Ius conſtat, eiuſq; tota doctrina protenditur, diſtinctè agamus.

h Leg. Iuſtitia. 10. ff. de iuſt. & iur.

i Ariſt. 5. ethic. c. 6. D. Thom. 2. 2. q. 57. ar 4. Domin. Soto de iuſt. & iur. l. 3. q. 1. ar. 4. Molin. co tit. to. 1. tr. 1. diſp. 7.

De Legibus.

SECTIO X.

SVMMARIVM.

1 *Nomen lex quotupliciter accipiatur.*
2 *De quatuor ſpeciebus legum.*
3 *Differentia legum inter ſe.*
4 *De legis etymologia, & diffinitione.*
5 *Quod lex debet eſſe communis.*
6 *An lex ſit actus intellectus, vel voluntatis.*
7 *Quoddam S. Aug. & Iuriſc. dictum exponitur.*
8 *De actibus legis.*
9 *An promulgatio, & ſcriptura, ſint de ſubſtantia legis.*

10 *In ferendis legibus,an conſilium mulierum ſit admittendum.*

11 *Particula, Virorum prudentium Conſultum, declaratur.*

12 *De finali cauſa legis, ac obligatione quæ ex contractu, & delicto oritur.*

13 *De vi coerciua legis, ac differentijs humanarum actionum.*

14 *De punitione, vltimo legis actu.*

15 *An tribuere, adimere, & conſulere ſint legis actus.*

16 *An præmiare ſit quinta legis virtus.*

17 *De cauſa efficienti legis.*

18 *Nouiter explicatur vltima legis particula.*

19 *De antiquo ferendarum legum modo.*

20 *De Plebiſcito & Senatuſconſulto.*

21 *De Principum placitis, Magiſtratuum edictis, & Prudentum reſponſis.*

L*Ex, Plebiſcitum, SenatusConſultum Principum placita, Magiſtratuum edicta, & Prudentum reſponſa*, ſunt ſex Iuris ſcripti partes: de quibus per ordinē tractandum eligimus. Sed Cum nomen LEX diuerſimode accipiatur, diuerſæq; ſint leges; priusquam eius Etymologiam, ac legis diffinitionem, à Papiniano [a] doctè aſſignatam, exponamus; de ſignificationibus ipſius nominis, ac legum diuerſitate, nonnulla in tranſitu dicemus. Multipliciter quidem, legem acceptam inuenimus † videlicet, pro *quocunque rationabili ſtatuto*, [b] vel ſanctione ſancta, honeſti præceptrice, cōtrarij prohibitrice: pro *iure in communi*; pro *priui-*

[a] L. 1. ff. de legib. & Senatuſc.

1

[b] Ex l. græca. ff. de leg. & Senatuſc.

legio [c] : pro *ratione* [d] : pro *conſuetudine* [e] : Aliquando, pro *ciuili conſtitutione tantum*, Quandoq; pro *iure ſcripto*, [f] : & frequenter pro *forma contractus* [g] : ſcilicet pro conditione, & pacto. Vnde illud vſitatum, *Ea tamen lege*, ideſt. *Ea conditione*.

Inuenimus etiã quatuor † eſſe legum ſpecies, [h] ſcilicet Sempiterna : Naturalis: Diuina, & Humana. De Sempiterna, quæ ſapiẽtia Dei eſt, dixit Sapiens [i] *Dominus poſſedit me, in initio viarum ſuarum : antequam quidquam faceret à principio ab æterno ordinata ſum.* Et infra: *Quando legem ponebat aquis, cum eo eram cuncta componens*. Cui conſonat illa Ciceronis; [k] diffinitio *Lex eſt æternũ quoddam, quod vniuerſum mundum regit, imperandi, prohibendiq; ſapientia*. De Naturali, dixit Apoſtolus : [l] *Gentes quæ legem, non habẽt, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*. Et Cicero [m]. *Lex eſt ratio ſumma, inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibetq; contraria*. De diuina mentionem fecit Hieremias [n] Dei vates, dicens. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Et Regius Pſalmiſta [o]. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* De humana, dixit Paulus [p], *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. De qua in hoc capite agere eligimus. Sed prius

c Ex tit. de priuil. & c. priuilegia, d. 3.
d Cap. conſuetudo, 1. d.
e Dict. c. conſuetudo.
f Iſid. l. 5. etym. c. 3.
g Ex L. ſi dominus. 8. ff de præſcript. verb.

2

h Ex communi Theologorum, Canoniſtarumq; doctrina.
i Sap. Prou. 8.
k Cic. l. 2. de leg.
l Apoſt. ad Rom. 2.
m Cic. l. 1. de leg.
n Ierem. 31. ad Heb. 10.
o Pſalm. 18.
p Paul. ad Rom. 13.

q Domin. Soto de iuſt. & iur.l.1.q.3. ar.1.in fi.

perpēde cū Dominico Soto [q], non eodē modo hæ legū ſpecies inter ſe differre,
3 † *Sempiterna enim differt à cæteris tribus, quod ipſa fons illarum eſt & origo: non vtiq; lata; ſed ferens: non impreſſa, ſed imprimens: non deniq; alterius participatio, ſed lux, cuius, aliæ sūt participationes* [r]. *Reliquæ vero inter ſe hoc diſtant, quod lex naturalis, eſt impreſſio facta in ipſa creatione naturæ. Lex vero humana, eſt regula ab homine poſita, per facultatem ſibi diuinitus collatam. Lex vero diuina, eſt lumen infuſum homini, quam ideo Hieremias vocat legē ſcriptā in cordibus. Igitur quamuis lex æterna, diuina etiam ſit, differt tamen à diuina poſitiua quod illa in Deo ab æterno exiſtit, hæc vero in nobis ex tempore*: Item nota, quod Theologi in illa Apoſtoli [ſ] verba, *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*; etiam leges quatuor diſtingunt, ſcilicet legem peccati, repugnantem legi Dei; & legem membrorū, legi mentis aduerſantem. Quæ cum præcipuè ad Theologos ſpectent, ipſis tractanda relinquuntur.

r Ex doctr. S. Aug. l.1. de libero arbitrio. & S. Thom.1.2.q.93.

ſ DD. Theologi In Paulum ad Rom.7.

Legē Iſidorus [t] à *legendo* trahit,
4 † quia vt ab omnibus legatur, prius ſcribitur, ſed cum hoc illi accidentarium ſit, congruētius D. Thomas [u] à *ligando* deducit, eo quod vim habet obligādi. Cicero [x] au-

t Iſid.l.5. etym.c.3.

u D.Thom.1.2.q,90.

x Cic.l.1.de leg.

tem à *legendo*, ideſt *deligendo*, pro eo quod eſt eligere; quæ etymologia magis Dominico Soto [y] placet, ſcilicet, quod ſit eligendi regula, quæ dirigendo, docet eligere. De origine legum hic agere perlongum foret, cum Doctores *in l. 2. ff. de orig. Iuris*, diffuſe circa hoc ſe gerant, & peracutè Aymarus Riuallius *in quinq; libris commentariorum in duodecim tabullarum leges*, quem qui vetuſtatũ fuerit perſcrutator, videre poterit. Legis diffinitionẽ ſic Iſidorus [z] conſtituit. *Lex eſt conſtitutio populi, quà maiores natu, ſimiliter cum plebibus, aliquid ſanxerunt.* Et Philoſophus [a]. *Lex eſt communis ciuitatis conſenſus, qui ſcriptis præceperit quomodo vnumquodq; agendum ſit.* Alius dixit [b] *Legem eſſe generale iuſſum populi aut plebis, rogante magiſtratu*. Cui conſonat illa Iuſtiniani [c]. *Lex eſt quod populus Romanus, Senatorio magiſtratu interrogante conſtituebat.* Diuus Thomas & Theologorum Schola [d], alias ponunt legis diffinitiones, quas hic connectere prolixum eſſet; præcipuè cum habeamus, illã integrè copioſam, quam ſapientiſſime Papinianus ſic preſcripſit. [e]

LEX EST COMMVNE PRÆCEPTVM, VIRORVM PRVDENTIVM CONSVLTVM, DELICTORVM QVÆ SPONTE, VEL IGNORANTER CON-

TRA-

y Domin. Sot. de iuſt. & iur. q. 1. ar. 1. lib. 1.

z Iſid. dict. l. 5. etym. c. [illegible]

a Ariſt. in Rhetor. ad Alexand. cap. de gener delib.

b Gell. l. 10. c. 20.

c §. 4. inſt. de iur. natur.

d D. Thom. in d. 1. 2. q. 90. & ibi Theologi.

e Leg. 1. ff. de leg. & Senatuſc. & l. iura. eo.

TRAHVNTVR COERCIO, COMMVNIS REIPVBLICÆ SPONSIO.

Et quamuis in hac diffinitione ex quatuor conſtructa membris, eleganter legis genus, finis, cauſa, & poſitionis forma exprimūtur, vt ipſam dilucidius intelligamus, particulatim omnia axiomata, quæ ex ea educi poſſunt exponemus.

Lex eſt commune præceptum.

5 Commune dixit † tùm quia in commune omnibus debet poni, (eſt, n. iſtius primi axiomatis ea poteſtas vt lex ab omnibus obſeruanda ſit [f]) tùm etiā, quia legis finis, eſt commune bonum: acceptum, tam pro naturali, quam pro ſupernaturali fælicitate. Iſidorus ait [g], quod *lex pro communi vtilitate ciuium eſt conſcripta*. Plato [h] ſentit leges omnes pro publica pace condēdas. Cicero [i], *Conſtat* (inquit) *profectò, ad ſalutem ciuiū ciuitatumq; incolumitatem, vitamq; omniū quietā, & beatam, conditas eſſe leges*. Et Philoſophus [k], legem omnem vniuerſalem eſſe dixit, hoc eſt in vniuerſum poſitā omnibus hominibus. Vnde lex quæ ad ſingulos ſpectat, non lex, ſed *priuilegium* [l] dicitur. Ex quibus inferas, legiſlatorē, leges in ſuum commodum particulare conſtituentem, tyrannum dicendum fore cum legis finis, ſit cōmune bonū [m], & non in commodum legiſlatoris tantum, nec in ſingulas alias perſonas, ſed generali-

f Leg. 3. cod. de legib. l. 2. ff. eo.

* Legis finis.

g Iſidor. vbi ſup.

h Plato dialog. 1. de legib.

i Cic. l. 2. de Leg.

k Ariſt. 5. ethic.

l Cap. Abbate, de verb. ſignif. & ca. in his de priuileg.

m Ex ſupra citatis.

raliter conſtituenda ſint iura [n].

Præceptum,

Nam præceptio vt edocet D. Thomas [o], eſt actus intellectus † per prudentiam conſtitutus: & cum lex ordinando præcipiat [p], & præcipiendo ordinet, munus prudentiæ dicetur, ac ſubinde intellectus (non vero voluntatis) in quo tãquam proprium eius opus inſidet. Præcipere quidem, eſſe loqui, *vt Fac: Ne facias*, dubitari nequit. Loqui autem, intellectus negotium eſt; cuius conceptus; voce, & ſcripto ſignificãtur; & ſic præceptio, ad intellectum pertinet [q]: nam *Volitio, & Nolitio*, (qui actus tantum in voluntate ſunt) nullum ſecum afferunt imperium. Nec obſtat † quod Auguſtinus [r] dixerit: *Antiquitus arbitra Principum pro legibus fuiſſe*, & Iuriſconſultus [ſ]. *Quod principi placuit, legis habere vigorẽ*, quia etſi nulla exiſtat in intellectu lex, niſi in voluntate præcedat electio; attamen voluntas non eſt lex. Sed ſi id, quod Principi placuit, mẽte prius, deinde voce præcipiat; illud eſt lex [t]. Vnde Iuriſconſulti verba ſic veniunt intelligenda, *Quod Principi placuit edicere, legis habet vigorem*, Quo ſenſu eadẽ lex ſe exponit ſubdens. *Quodcunq; Imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, legem*

n Leg. iura non. ff. de leg. & Senatuſc.

6

o D.Thom. 1.2.q.17.ar. 11.& q.57.ar.6.

p Ex l. legis virtus, ff. de legib.

* Genus legis.

q Ex doctr. F. Domin. de Soto vbi ſupra.

7

r Aug.l.4.de ciu.Dei.

ſ ff.de conſtit. princ. l. 1. & inſt. de iur. natur. gent, & ciu.

t Ex doctr. præallegati Dom, Sot. vbi ſupr.

eſſe conſtat: Ex quibus genus legis habes.

Hic etiam perpendendum Conſulo,
8 quod cum legis actus † quadripartitus ſit vt Modeſtinus docuit [u] inquiens, *Legis virtus eſt, imperare, vetare, permittere, & punire*: Vnde verſus:

Quatuor ex verbis virtutes collige legis,
Permittit, punit, imperat, atque vetat.

Tres primos eorũ in verbo *Præceptum* Papinianus incluſit: Nam ſub præceptione, permiſſioné comprehendere, nullis eſt ignotum: Sed ècõuerſo quod *permittere* etiam ſignificet *præcipere*, Canonico habetur iure [x], & ex Iſidoro colligitur, qui [y] ſub permiſſione præceptioné intelligendam cenſuit, dicens (de tribus tantum mentionem faciens) *Omnis lex, aut permittit aliquid, vt vir fortis præmiũ petat: aut vetat vt ſacrarum Virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit vt qui cædem fecit capite plectatur*. Sic etiã habetur Ciuili iure [z]. *Vniuerſi præſcripto legum, vel inhibita declinẽt, vel permiſſa ſectentur*. Vbi *Inhibita*, ideſt quæ veniunt punienda, *Permiſſa*, ideſt *præcepta*, intelliguntur. Conſulto quidem Iſidorus primum omiſſit actum, tanquam in permiſſione contentum, quia haud credibile eſt, vt potiſſima legis functio eũ præterierit. Vbi obiter nota, permiſſionem trifariã cõſiderari. 1. circa ea quæ

nul-

u ff. de leg. & Senatuſc. leg. legis virtus.

x Notat in c. accedens, in fin. 50. diſt.

y Iſidor. l. 5. etym. c. 19. relatus d. 3. c. omnis autem lex.

z Cod. de leg. & conſt. l. leges ſacratiſſimæ.

nullo prohibetur iure; vt ſecundas nuptias contrahere. [a] 2. quando contra humanas leges indulgetur. [b] 3. quando ꝙ illicitum eſt, permittitur; vt magis illicitum vitetur: quæ permiſſio, legi conueniens eſt, præcipuè circa id, quod cō modè vindicari non poteſt [c].

Vetare etiam actus præceptionis eſt, vt *Ne occidas: Ne iures.* Et cum inſtar rationis ſpeculatiuæ, per vnum aliud concludatur, ſcilicet quod formidine pœnæ, peccare metuent, punitionem aſſignare licuit.

Sed quamuis Accurſius, [d] quem Bartolus ſequitur, rectè animaduertit, omnes legis virtutes, ſub verbo *Præceptum*, contineri, nihilominus hanc vltimam legis virtutem, videlicet *Punire*, infra in verbo *Delictorum coercio*, explicandā remittimus. Et hic in prædicta particula *Commune decretum*, duo notanda intuemur: vnum, leges in ſcripturam eſſe redigendas; alterum, fore, promulgandas †. Nam vt decretum, Commune poſſit eſſe, promulgatione indiget, quæ eſt de ſubſtantia legis, quod non ſolo Canonico [e] habetur iure, ſed Ciuili [f]: vbi dicitur *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent*. Et alibi: [g] *Tunc valere leges iubetur, cum in commune factæ; ſunt manifeſtæ*: Nihil enim proderit,

a c. hac ratione. c. quomodo. c. aperiāt, 31. q. 2

b c. quædam lex, 35. q. 2

c Hos ſignificatus recenſet gloſſ. in c. omnis autem, 3. diſt.

d Accurſ. in dict. l. 1. ff. de legib. & Senatuſc. & ibi Bartol.

9

*Poſitionis legis forma.

e De poſtulat. Prælat. c. ad hæc, de conſtit. c. cognoſcentes, & d. 4. c. in iſtis, dicitur, leges tūc inſtitui, dum promulgantur.

f L. leges. C. de legib. & conſtit. princ.

g Auth. vt factæ nouæ conſtit. &c.

quod ſint in voluntate, niſi promulgentur, vt poſſint obſeruari: & niſi ſcribantur, vt poſſint conſeruari. Maximè cum perpetuo ligent: [h] & à *legendo* dicantur: [i] & diffiniantur eſſe conſtitutiones ſcriptæ: [k] & Chriſtus, Dominus noſter digito in terram ſcripſerit [l] cum legem dedit, criminoſos ab accuſatione, & in iudicio repellendos: & duodecim ſcriptæ tabullæ, [m] fuerint Iuris origo: & primus Legislator (cuius actio, noſtra eſt inſtructio [n].) legem dederit ſcriptam. Quamuis quidem ſcriptura non ſit de eſſe, nec ſubſtantiali forma legis, eſt tamen neceſſaria ad ſcientiam inducendam. [o] Et ſic *commune præceptum*, ideſt decretum in commune omnibus ſcriptum; & inter omnes promulgatum.

Virorum.

10 Virorum dixit, vt admonitum habeamus mulieres † in ferendis legibus non fore conſultandas, quod & rectè Bartolus, & Decius, [a] adnotarunt. Nec refert quod Reginæ, leges ſancire valeãt; quia hoc, ratione poteſtatis, non vero conſilij proprij faciunt: nec etiam quod Iuſtinianus, Theodoram vxorem ſuam, ob inſignem, raramq; eius prudentiam, ad conſilia Reipublicæ, ac ferendæ conſtitutionis Nouellæ 8. adhibuerit, [b] quod potius reprehenſionis quam laudis dignum omnibus viſum eſt.

h 25.q.1.c. quæ ad perpetuam. de conſtit. c.2. & vlt.

i Iſid.l.5.etym. quod de ciuili intelligitur, non de naturali, nec gentiũ. Nam lex naturæ in mẽte ſcripta eſt, & ius gẽtium, eadem mente collectum.

k D.1.c. lex eſt, 4. d.c. erit, in fin.

l Ioan. 8. & habetur 3. q.7.c. poſtulatus.

m ff.de orig.iur.l.2.

n 2 q.1.c. Deus, & Exo. 31. in fin. Deuter. 10. in princ.

o Ioann. Andr. in tr. de reg. iur. regula nemo po eſt, in fi. & infra dicenus ſect.15. de conſtit. num.5.

a Bartol. in l.1. ff. de legib. Decius in l.2. ff. de diuerſ. reg. iur.

b In Auth. Iuſiurandũ, quod præſ. §. hæc autem facit lex, bene a Zenone, C. de quadrien. præſcript.

Prudentium.

11 Ideſt *Iuriſconſultorum*, † qui ſub appellatione, *Prudentum*, continentur [c] Vnde crebro Iuriſconſultorum placita' Prudentum reſponſa [d] dicuntur.

c Le.7.ff.de iuſt.& iur. leg.2.ff.de Orig.iur. & leg.8.C.de legib.
d §. reſponſa, Inſtit. de Iur.nat.

Conſultum.

Ideſt *Decretum*, aut *Statutum*. Quo ſenſu vſus eſt frequenter Papianus, & in Epiſtolis Horatius [e] dicens:

e Horat.lib.1. Epiſt. ad Quintium.

——Vir bonus quis eſt?
Qui conſulta patrum, qui leges, iuraq; ſeruat:

Accutiſſimè quidem Papinianus hoc loco exponit; nullam eſſe in intellectu præceptionem, quam non anteceſſerit prius conſilium: neceſſariamq; eſſe ad leges ferendas conſultationem virorum prudentium: quorum proprium eſt munus, ex viſceribus naturalis philoſophiæ, ratione, & iudicio leges elicere. Quæ, quamuis per ſe, effectum ſortiri, firmitatemque, & coercendi vigorem habere nequeunt, niſi à Republica, vel Principe, iuriſdictione pollente eis apponatur: attamen ſine prudentium cõſultis, eorumq; maturo conſilio, non debent eas Principes edicere, vt antiquitus vſitatum inuenimus. Fuerunt enim Prudentes, qui leges duodecim tabullarum interpretabantur, quorum diſputationes fori, dicuntur IVS Ciuile [f]. Cœperunt etiam Iuriſprudentes, pu-

f Leg.2. §. his legibus latis ff. de orig. iur.

blicè

blicè Imperatoris auctoritate, ſignatis, ſcriptis reſpondere, ſub Auguſto: à quorum reſponſis, recedere non licebat [g].

g Dicta l. 2. §. Primus Diuus Auguſtus.

Delictorum, quæ ſponte, vel ignoranter contrahuntur.

EXprimit, delicta legibus fore expianda, cum lex *delictorum coertio*, diffiniatur. Habemus ex Iſidoro, [h] factas eſſe leges, † vt earum metu humana coerceatur audacia; tutaq; ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio, refrenetur audacia, & nocendi facultas. Non quidem ſemper, qui legi obedit, id facit ex bono virtutis, ſed timore quandoque pænæ, quam lex comminatur. Huc reſpexiſſe videtur Horatius dicens:

h Iſidor. lib. 5. Etymol. c. 20. & refertur inter decreta d. 4. c. 1.

12

Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes.

* Orat. lib. 2. Epiſt. ad Octauium.

Et vult Papinianus hoc loco, & alibi probat Marcianus, [i] delicta conſultò admiſſa, venire punienda; ſimulq; quæ ex ignorantia vincibili, vel inexcuſabili [k] perpetrantur, de qua hic agit Papinianus. Et ſic non obſtant leges, [l] cōtrà ignorantiam puniendam pugnantes, quarum dilucida eſt conciliatio in earum interpretibus, ipſos conſule.

i Leg. 11. §. penult. ff. de pœnis.

k Vt Baldus recte exiſtimat in d. l. 1. Verſic. Vlterius noto ff. de leg.

l Gaius l. 5. §. lōge magis. ff. de oblig. & actio. l. 7. ff. de iuriſd. omni. iudic. & l. 8. ff. de his, qui notantur infamia.

Contrahuntur eleganter adiecit, quia contrahere obligare eſt, [m] & ſic genera-

m Leg. 57. ff. de oblig. & action.

liter omne illud ex quo naſcitur obligatio, appellatione contractus intelligitur.[n] Quò reſpiciens Labeo adſerit[o], *contractum eſſe vltro, citròque inter duos, pluresvè obligationem*. Qui enim delinquit obligatur, vt Bartolus, & Accurſius[p] tradunt.

n Leg. ſi ab eo. ff. de legib. 2.

o In l. Labeo. §. contractum. ff. de verbor. ſignific. & ibi per Bart.

p Bartol. in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. Accurſ. in l. omnem. ff. de iudic.

Coercio.

13 Hinc aperte colliges legem† vim habere coerciuam, ad rationem legis requiſitam, vt etiam auctor eſt Ariſtot.[q] Quę coercio quartum reſpicit legis actũ ſcilicet *punire*. Ad quod nota quod cum tres humanarum actionum differentias inueniamus, ſcilicet in ſuo genere *bonas*: aut *malas*: aut *indiferentes*. Reſpectu bonarum lex *præcipit* vt

q Ariſt. 10. Ethic.

Vnum cole Deũ, ne iures vana per ipſum

Reſpectu malarum *vetat*, vt

Ne ſis occiſor, fur, mœchus, teſtis iniquus.

Reſpectu indifferentium *permittit*, vt negociationes in commercijs, lucri gratia.

Bonæ intelliguntur etiam illæ, quæ vt certa ratio oſtendit, pro loco & tempore bonæ ſunt.

Malæ autem, etiam illæ quæ per legis prohibitionem efficiuntur malæ; vnde illa trita diſtinctio: *Alia prohibita quia mala, alia mala, quia prohibita*.

Indifferentes, vt ludere, ſolatij gratia, iocari, quæ à lege humana permittun-

tur, quia ex ipſis nulla emergit iniuria.

14 Vnde nota † quod, cum lex, inſtar rationis ſpeculatiuæ, per vnum aliud concludat, & ſubditi formidine pęnæ refręnentur, vltimus adiungitur actus ſcilicet *Punire*, quò coerceatur improborum audacia, tutaq; remaneat proborum innocentia. Quam punitionem D. Thomas [r] appellat Iuſtitiam vindicatiuam, eamq; inter partes iuſtitiæ potentiales connumerat, quæ correctionem, & cohibitionem peccantis, aliorum quietem; iuſtitiæ conſeruationem, & Dei honorem reſpicit.

r D. Thom. 2. 2. q. 108.

15 Non quidē deſunt † qui velint, [f] quod *Tribuere*, & *Adimere* actus ſint legis, & etiam *Conſulere*, [t] & *Præmiare*, quia legis effectus, eſt ſubditos ad bonum inducere, ad quod, conſilium, & præmium conducunt. Sed ſuperuacaneè *Tribuere*, & *Adimere* adducuntur, cum ſub quatuor prædictis legis actibus comprehendi poſſint. Et cum *Conſulere*, vim non habeat coerciuā, ſimiliter nec legis rationem habere queit: [u] & ſic nō proprium Principis munus eſt, ſed cuiuſuis priuatæ perſonæ.

f Marcus Fabius lib. 6. c. 6. citatus à Pardulpho Prateio in Lexico. verb. lex.

t Accurſ. ſuper l. legis virtus ff. de leg. & Senatuſconſ.

u Bart. in d. l. legis virtus. ff. de legib.

16 *Præmiare* † quintam eſſe legis virtutem aliquibus viſum eſt, quia naturaliter homines, (vt Philoſophus [x] tetigit) maxime afficiuntur *Voluptate*, & *Dolore*, ideſt *Præmio*, & *Pœna*: Quamobrem

x Ariſt. Ethicor. 10.

alli-

alliciendos præmijs, terrendosq; ſupplicijs eſſe dixit Iuriſconſultus [y] per illa verba. *Bonos non ſolum metu pœnarū, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes.* Solonq; & Democritus aſſerebant duabus potiſſimum rebus Reſpublica conſtare, videlicet *Prœmio*; & *Pœna*; tanquam duo numina cuncta gubernantia *Prœmium.* virtuti debetur. *Pœna* autem malis, quos nulla honeſtatis ratio mouet ad rectè viuendum. *At noſtri hodie*, (vt Prateius [z] eleganter ſentit) *pœnas habent, ac varia tormentorum genera aduerſus malos; ſed præmiorum apud pleroſq; adeò nulla eſt ratio, vt mercem viliſſimam pluris æſtiment, quam omnes bonarum literarum vniones. Quid hoc, rogo, eſt aliud, quàm alteram Reipublicæ partem vtcumq; curare, alteram, eamq; maximam, prorſus negligere.* Cui reſponderi poſſet ipſam virtutem ſatis eſſe ſibi ipſi præmium. Et cum *præmiare*, non ſit *cogere*; potius *punire* Legi attribuitur, eo quòd coactiuam vim habet, atque idcirco Principi conuenit, vt praui qui voluptatibus mancipati ſunt, contrarijs doloribus arceantur. *Præmiare* vero, priuatis etiam perſonis conceditur. Sed † vis illa, & poteſtas 17
coerciua improborum, ex ſcientia, aut ignorantia vincibili delinquentium ſolum exiſtit in Principe curam Reipubli-

[y] Leg. 1. ff. de iuſt. & iur.

[z] Prateius vbi ſup. in verbo Reſpublica.

[a] Cauſa efficiens legis

cæ gerente, qui eſt legis cauſa, & ei competit leges condere. Habemus quidem ex Philoſophi doctrina, effectrices cauſæ proportionem habere ad finales, & cum Reſpublica (ſic dicta, quia non in priuatam commoditatem, ſed in publicam tendit) ſuum peculiarem finem dirigat in commune bonum, [a] & leges illuc nos ducant, proprium erit Reipublicæ (aut Principis, Reipublicæ curam gerentis) illas condere, vt hũc aſſequamur finem: Vnde Plato, [b] Regis ait munus eſſe leges condere: & in Cæſareo iure [c] ſoli Imperatori leges condere; ac interpretari, inuenimus conceſſum.

* Philoſoph. Ethicor. 1.

a Ariſt. initio. 2. Ethic.

b Plat. in Dial. de regno.

c Leg. ſi Imperialis. C. de leg. & conſtitut.

Communis Reipublicæ ſponſio.

Artificioſè quidem hic Papinianus duplicem amplectitur ſponſionem, vnam à Principe factam Reipublicæ, ideſt populo, vel Regno: Aliam, à populo factam Principi. Nam illud verbũ *Reſpublica*, crebro bifariam ſumitur. Nẽpe pro ipſa Republica gubernatrice populi (quæ pro Senatu accipitur) vel pro ipſo populo, aut Regno. Et ſic ibi *Communis Reipublicæ ſponſio* illud verbũ *Reipublicæ*, nedum in genitiuo, ſed etiam in datiuo, conſtrui queit: quod † à nullo adhuc animaduerſum inueni. Si in datiuo conſtruatur, ſignificat populum,

18

aut

aut Regnum gubernatum, & in hoc ſenſu, Princeps ſecundum prudentiam Regnatiuam vel Architectonicam, [d] ſpondet Reipublicæ, ideſt populo, nullum fore abſque debito ſupplicio, pacis perturbatorem: Conſtituiturq; fideiuſſor pacis, & quietis & quod ſecurè, tutòq; vbiq; viuere poterunt, vt ſi dixiſſet. *Lex eſt communis ſponſio, à Principe facta Reipublicæ*, ideſt populo vel Regno. Cui conſonat, *conſtitutiones* dici, quæcunque Imperatores per epiſtolam, & ſubſcriptionem ſtatuunt [e] vt *Reſcripta, Decreta, Edicta:* & quod *Conſtitutor* dicitur, qui pro ſe vel pro alio, ſe ſoluturum promittit, vel aliqua facturum, & alterius in ſe transfert, vel ſuſcipit obligationem. Inde *Conſtitutoria actio*, ſiue *Cõſtitutitia*, quæ in eum qui ſe ſoluturum conſtituerit, datur: [f] Et cum hic *conſtitutio* ſit lex, & *conſtitutor* Princeps, optime fideiubet quietem fore conſeruaturum. Si vero in genitiuo conſtruatur, vel poteſt ſignificare ipſam Rempublicam, quatenus gubernatricem, ſpondentem, & fideiubentem pacem & quietem vt in datiuo expoſuimus; Vel ſignificare poteſt ipſum populum aut Regnum, cõmuniter ſpondentẽ parere, & obedire legibus à Principe editis. Intendit enim Ciuilis lex, facere duntaxat bonos ſubditos; ſcilicet promptè obſequentes: quoniã Reſ-

d Ariſt. 5. Ethic. cap. 8. D. Thom. 2. 2. q. 58. ar. & 6.

e Leg. 1. ff. de conſtitut. Princip.

f Leg. 16. 17. & 18. ff. de conſtit. pecunia.

publica, niſi ex partibus conſtet, quæ toti obtemperent, non valet conſiſtere, ſicuti neque corpus cui membra non ſeruiunt. Vnde D. Thomas,[g] *Lex* (inquit) *cum rationis dictamen ſit, quò præſidens ſubditos gubernat, ad hoc ordinatur, vt ei ſubditi bene obtemperent hic enim eſt, cuiuſq; præceptionis propoſitum.* Virtus autem propria eius, qui alteri ſubditur, eſt bene ſuperiori obtemperare vt Ariſtoteles docet;[h] nedum leges obſeruando, ſed etiam eis non obſiſtendo; quinimmo confirmando. Nã antiquitus † priuſquam omne Ius, omniſq; populi Romani poteſtas, in Imperatoriam translata eſſet poteſtatẽ[i] id apud Romanos, & Græcos moris erat, vt prius deliberaretur lex ferenda: quo facto, ter populo proponebatur; conſequenterq; rogabatur,[k] hoc eſt interrogabatur populus à Conſule, an id placeret quod Patres ſtatuiſſent; vt inde conſtaret an exequi, an antiquari debuiſſet, cui conſonat illa Iuſtiniani diffinitio Lex *eſt quod populus Romanus, Senatorio Magiſtratu interrogante conſtituebat.*[l] Tandem accepta lege; omnium ciuium Iureiurando confirmabatur. Sed Q. metellus Numidicus, ne in legem Saturnini per vim latam, iuraret, in exilium abire maluit, ſibiq; potius de patria, quam de ſententia decedendum putauit. Aliter vero M. Caro

g S.Thom. 1.2. q.92.

h Ariſt. in calce 1. Polit.

19

i L. 1. ff. de conſt. Princ.

k Inde lex omnis rogatio appellata.

l §.4. Inſt. de iur. natur.

Vticenſis ſe geſſit, qui cum leges P. Clodij, nullo neque iure, neque more, rogatas putaret, in eas tamen iurauit, conſilio vſus optimo vt Cicero ait, nam ab eo quod, omnino ne fiat, fieri non poteſt, cum periculo diſſentire, temeritatis videtur eſſe. Poſt iusiurandum, in æs lex incidebatur,[m] & certis temporibus, diebus, & horis in Circo Flaminio, Luco Petilino, Capitolio, & Campo Martio, ferebatur: At vero poſtquam translata fuit populi poteſtas in Imperatoriam; eodem puncto ipſa Reſpublica, vel populus, ſpopondit parere legibus à Principe editis: & Princeps fideiuſſit pacem, & quietem fore obſeruaturum, iuſtaſq; leges laturum, quod ſummo ſtudio adimplere, & prȩſtare tenetur, cum ſui muneris ſit. *Væ autem*, exclamat propheta,[n] *qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitias ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes.*

Cic. in orat. pro Sextio.

m Liu. l. 3. Cic. in orat. 3. in Catil. & in 1. Phil. Suet. in C. Cæſaris vita.

n Iſai. 10. cap.

PLEBISCITVM †, quaſi plebis ſtatutum, aut quod plebs ea ſciat, *eſt, quòd Plebeio Magiſtratu*, (ideſt Tribuno) *rogante; ſibi plebs conſtituebat*; ex quo etiam lex Tribunitia dicebatur. *Plebs* autem à *populo* differt, vt ſpecies à genere, eo quod appellatione *populi* vniuerſi Ciues continentur maiores, & minores; nobiles, & ignobiles. Sed appellatione *plebis*; [o] minores tantum: 20

o Caius l. 32. ff. de verb. ſignif.

Senatoribus Patricijsque excluſis. Et cum orta fuiſſet diſcordia inter plebem, & Patres, ideſt maiores ciuitatis Romanæ; hi, ius ſibi conſtituerunt, quod per antonomaſiam *Lex populi* dicitur, quia à nobiliore populi parte cum Senatoribus, & Patricijs ſancita erat. Plebs vero, ſibi leges ſtatuit, *Plebiſcita* dictæ, [p] quæ poſtea per legem Hortenſiam omnes Quirites obligabant, & non minus auctoritatis, quam leges habebant [q].

p Leg.2. §.ijſdem. ff.de orig.iur.

q §.Plebiſcitum de iur. nat.gent.& ciu.l.2.ff.de orig.iur. §. deinde cum eſſet. Aug.l.3. de Ciuit. Dei c.17. Liu. l.3. Plin. l.6.c.10. Flor.Epit.11. Gell. lib.15. c.27.

SENATVSCONSVLTVM appellabatur, quod Senatus iubebat, & conſtituebat [r]. Nam cum ita auctus eſſet populus, vt facile in vnum conuenire nequirent, legis ſanciendæ cauſa omne imperium condendarum legum Senatui à populo traditum eſt.

r §.Senatuſconſ.Inſt.de iur.nat.gent. & ciu.l.9. ff.de leg. legib.2. §.9.ff. de orig.iur.

21 PRINCIPVM PLACITA † ſunt, quæ Imperator, tanquam interpres, & conditor legum iubet atque conſtituit [ſ]. quod enim Principi placuit legis habet vigorem: & hæ, conſtitutiones vocantur, quarum tria ſunt genera, *Reſcriptorum* videlicet, *Decretorum*, & *Edictorum*. Aliterq; diuiduntur conſtitutiones, in *communes*, quæ in omnium cauſis valent, & generales vocantur [t]; & in *ſingulares*; in vna tantum cauſa; aut perſona valentes, quæ *priuilegia* vocantur, quaſi priuata lex, neque pro-

ſ Leg.vlt. C.de leg.l.1. ff.de conſtit. Princip.

t Leg.2. C.de legib.

inde ad conſequentiam producendæ [u], MAGISTRATVVM EDICTA, ſunt quæ Prætores [x] conſtituerunt, & annua tantum ſunt, ſicut ipſa Prætoris iuriſdictio. [y] Ius etiam Honorarium appellatur, [z] eo quod ab ijs conſtitutum eſt, qui honores, ideſt Magiſtratus gerunt.

RESPONSA PRVDENTVM (quos *Sophos*, & *Sapientes*, leges vocant) ſunt ſententiæ, & opiniones eorum, quibus datum eſt ab Imperatore Ius reſpondendi, ideſt conſulendi (ex quo Iuriſconſulti dicti, [a]) vel potius condendi, vnde *Iuris conditores*, [b] *Iuris auctores* [c], *Iuris interpretes*, [d] *Iuriſperiti*, [e] *Iuriſprudentes* [f], *Viri prudentes* [g], *& abſolute prudentes* [h], *& legislatores* [i].

u L.14.ff. de leg.

x Nã Magiſtratus, Prætores, & Conſules dicti ſunt ex l. quiſquis C. ad leg. Iul. maieſt.

y Cic. in Verr. 3.

z Leg 7. §. 1. de iuſt. & iur.

a Leg. 10. ff. de grad. & affin.

b L. 2. C. de commu. ſeruo manum.

c L. 2. §. poſt originem, ff. de orig. iur. l. 3. ff. ſi pars hæredit. petat. l. 38. ff. de act. emp. l. 17. ff. de iurepatron.

d Leg. fi. Cod. de curat. furioſ.

e §. poſt orig. ff. de orig. iur.

f §. Reſponſa, inſt. de iur. nat. gent. & ciu.

g Leg. 1. ff. de leg.

h In rubric., ff. de orig. iur. Inſtit. de codicid. l. 31. ff. de vulg.. & pupil. ſubſt.

i Leg. vlt. C. de legib. & paſſim.

De Iuſtitia.

SECTIO XI.

SVMMARIVM.

1 *Duplex ratio adducitur, cur Iuſtitia hic collocatur.*

2 *Vnde dicatur, & de legali ac etiam de particulari, eiuſq; diffinitionibus agitur.*

3 *Iuriſconſulti diffinitio per particulas exponitur.*

4 *Quod Iuſtitia actus, nedum ad Iudices, ſed ad quoſcunq; ſpectant.*

5 *Quomodo Iuſtitia circa operationes verſatur, & quid ad eas reliquæ virtutes conducant.*

6 *In quibus differt Iuſtitia a reliquis virtutibus; de*

earum

earum materia, ac Iuſtitia obiecto.

7 *Particularis Iuſtitia diuiditur in partes ſubiecti uas, Integrales, & Potentiales: Et ſubiectiua ſubdiuiduntur.*

8 *De cõmutatiua, & eius proportione; ac de commutationibus voluntarijs, & inuoluntarijs.*

9 *De læſione verbi in Iudicio & extra Iudicium, & de læſione facti.*

10 *De Iuſtitia diſtributiua, & eius proportione.*

11 *De partibus Integralibus & potentialibus.*

12 *De iniuſtitia, & eius actibus iniuſtum facere, & iniuſtum pati.*

CVm omnis habitus actus, & potentiæ, per ſua obiecta diffiniantur,[a] & Ius ſit Iuſtitiæ obiectum; merito de Iuribus, quod noſtrum eſt Inſtitutum, huc uſq; ſermonem fecimus, vt dilucidius
1 Iuſtitiæ tractatum † aggrederemur. Cuius naturam, vim diffinitionem, diuiſionem, aliaq; nonnulla, in hoc capite conſultò circunſcribenda diſtulimus, vt ipſa locum ſibi vendicaret, inter humana ſcripta Iura; nempe *Cæſarea,* & *Pontificia,* Quorum ſcopus, & finis eſt, vtraque felicitas; temporalis ſcilicet & æterna. Ad quas comparandas, medium eſt neceſſarium Iuſtitia moralis virtus, vera fidei proles, ſpei robur, & charitatis pediſſequa.[b] Quæ cum homines in vnum congreget, ab iniurijs defendat, in pace conſeruet, amore conciliet, virtutibus ornet, & ad ſupernaturalia ſubuehat: merito in medio horum Iurium tanquã eorum mater collocanda venit. Hæc, Iu-

a Ariſt. 2. de anima, tex. 33. D. Thom. 2. 2. q. 37.

b Ex Dom. Sot. in proemio de iuſt. & iur.

ſtitia, dicta, † ex eo quod cuiq; Ius ſi-
ſtat, [c] *Legalis* dici ſolet, & *omnis virtus* appellatur, [d] quatenus per eã (pro virtute in communi acceptam) homo concordat legi, ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune, ſicut Charitas, in diuinum bonũ ordinat omnia: Vnde *Iuſtus* idem eſt, quod *ſtudioſus* [e] quacunque ſit inſignitus virtute: quia in qualibet extat obedientiæ ratio legi debitæ: & qui debitum facit, Iuſtitiæ formam induit. Quo vtique ſignificato eſt illud Matthæi [f] *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra*. Et *Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus* & illud Pauli [g] *Iuſto non eſt lex poſita*. Sic accepta Iuſtitia, peculiare caret obiecto, ſed ſuum cuique virtuti eſt proprium, nempe id quod eſt legitimum. De hac non eſt nobis agendum, ſed de ea quæ particularis virtus Moralis eſt, vna quatuor Cardinalium, cuius officium eſt Iuſtũ facere, vel æqualitatem conſtituere, in his quæ ſunt ad alterum. Quam Ariſtoteles & D. Thomas [h] diffiniunt eſſe habitum *quo homines apti ſunt ad res iuſtas agendas*. Vel aliter. *Iuſtitia eſt congrua animi diſpoſitio in ſingulis rebus rectè dijudicans cauſas.* vel vt Cicero ait: [i] *Iuſtitia eſt habitus animi, communi vtilitate ſeruata, ſuum cuiq; tribuens; atque ſocietatem coniunctionis humanæ, munificè, atque æquè tuens*. Iuriſcõ-

2
c Vlp. l. 1. ff. de iuſt. & iur.
d Ariſt. ethic. 5. c. 1.
e Prædict. Sot. vbi ſup. l. 3. q. 1. ar. 1.
f Matth. 5. & 6. cap.
g Apoſt. ad Timot. 1.
h Ariſt. vbi ſup. D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 1.
i Cic. l. 2. de inuent. & 5. de finib.

ſulti

ſulti vero diffiniunt ſic.[k] Iuſtitia *eſt conſtans & perpetua voluntas, Ius ſuum vnicuiq; tribuens*: Quæ diffinitio licet primo aſpectu ſoli iuſtitiæ Diuinæ conuenire apparear, humanæ etiam accõmodatur.

k Leg. 1. ff. de iuſt. & iur. & Inſt. in princ.

Iuſtitia voluntas eſt.

3 Ideſt † voluntatis habitus ſiue qualitas; nam in voluntate, tanquam in ſubiecto exiſtit non ſolum iuſtitia, ſed etiam fortitudo & temperantia [l].

l Ludou. Molin. 1.2. q. 56. ar 4, 5. & 6. cum cõmuni DD. ſententia.

Conſtans & perpetua.

Quatenus à Deo promanat: nam operans per virtutem operatur immobiliter quantum ad propoſitum, & vt quis Iuſtus ſit, oportet quod habeat propoſitum perpetuo ſeruandi Iuſtitiam; in quo firmiter permaneat.

Tribuens vnicuique.

Deo ſcilicet & hominibus, quia in æquitate & Iuſtitia, redditur vnicuique quod ſuum eſt, ideſt, quod illi debetur vel ad eum pertinet: quod etiam initiũ habet à Deo, *Qui,* ſecundum Pſalmiſtam *reddit vnicuiq; ſecundum opera ſua*: Debet quidem Iuſtitia eſſe in diuidendo communia, & communicando diuina: vnde aliqui ipſam appellant habitũ bonum, tribuentem cuiq; ſuam dignitatẽ, *Deo* religionem: *parentibus* obedientiã: *maioribus* reuerentiam: *paribus* concordiam: *minoribus*, diſciplinam: *Sibi ipſi*, caſtimoniam: & *pauperibus* ſeu *miſeris*

com-

compaſſionem operoſam.

Ius ſuum.

Ideſt *rem iuſtam ipſi debitam*, nō enim hic *Ius*, pro *habitu* accipitur, qui eſt ars boni, & æqui, ſed pro *re iuſta*. Ex quibus habes prædictæ diffinitionis sēſum, videlicet *Iuſtitia eſt cōſtans & perpetua, voluntas*, vt ſi dicas, eſt habitus, quò inclinamur cum conſtantia, & firmitate, ad volendū ius ſuum vnicuique. Spectat enim ad virtutem perfectè acquiſitam, vt homo cum firmitate ac cōſtantia operetur, ex Philoſophi doctrina [m], vt vnicuiq; quod ſuum eſt tribuat, alienum non vendicet, vtilitatem propriam negligat, & communem æquitatem cuſtodiat, iuxta Diui Ambroſij ſententiam [n].
Licèt enim † ad iudicem attineat ſuum 4
ius vnicuiq; tribuere, ſententiam proferendo, quâ declaret, quid cuiuſq; ſit, ad vnumquemq; tamen rationaliū ſpectat; opera iuſtitiæ exequendo, actum iuſtitiæ exercere; hoc eſt, *cuicunq; Ius ſuum tribuere*; ad quem actum, reducitur etiam, *nolle cuiquam nocumentum inferre*. Et ſic intelligenda eſt diffinitio, ita vt vtrunq; modū ſuo ambitu cōprehendat, quia nō obligat Iuſtitia, iudices tantum, ſed vniuerſos homines. Ex his
conſtat Iuſtitiam † verſari circa opera- 5
tiones, & res, alteri ab altero debitas, (accepta operatione, provt à motu ſen

ſitiuo

m Ariſt. 2. ethic. c. 4.

n Ambroſ. lib. offic.

ſitiuo diſtinguitur) nempe circa *emptiones, locationes, &c.* quæ ſunt ad alterũ °; Ad alias vero virtutes attinet, cohibere paſſiones, impedimentem afferentes, ne iuſtitiæ operationes exerceantur: vt ad Liberalitatem ſpectat, inordinatam pecuniæ cupiditatẽ coercere; ad Manſuetudinẽ, reprimere iram; quæ cauſa eſſe ſolet iniuſtæ percuſſionis; Vbi etiã nota 6 differentiam Iuſtitiæ † à reliquis Virtutibus in tribus cõſiſtere. Primũ quod rectitudo iuſtitiæ ordinatur ad alium, vt qui, quindecim mutuo à Ioanne acceperat, totidẽ ei reſtituat, & qui rem emit; valorem rei ſoluat. Reliquæ vero Virtutes, agentem ordinant ad ſeipſum, vt Temperantia, quæ ciborum, & delectabiliũ vſus, permittit, aut prohibet, pro vt ad ſalutẽ agentis conducit. Secundũ Quod *rectũ* cæterarũ Virtutũ, nõ attenditur legitimè, & rectè, reſpectu ipſius actus, vt rectum Iuſtitiæ, niſi reſpectu agẽtis. Vnde, qui debitum creditori ſoluit; vt illud dilapidet: auara vtitur menſura, ne pecuniam diſpendat: vel gladium depoſitũ domino reſtituit, vt homicidium faciat; licèt hoc opus ſit ſimpliciter Iuſtum. quia alteri ſuum Ius tribuit, non tamen eſt virtutis opus; quia talia opera, non aliam habent rectitudinem, quam in ordine ad Virtutis habitum. Nec qui ſoluit, *ſtudioſus* dici de-

o Idem Molin. 1.2.q.60 art.2.

bet

bet quia non operatur *quando, vbi, &* *quomodo* oportet; ſed ſoluit æquale debito, mala intentione, & fine, & nullum eſt Virtutis opus vt Philoſophus docet [p], niſi fiat ex electione propter legitimum finem. Tertia ex hac oritur differentia, quod Iuſtitiæ obiectum per ſe aſcribitur, *Ius*, & *iuſtum* appellatum; nõ autem vlli cæterarũ Virtutum; eo quod rectitudo Iuſtitiæ, in rebus ipſis natura ſua eſt reperibilis, in cæteris vero non, niſi ex recta intentione agentis. Quapropter D. Thom; (quod meditatè conſiderãdum fore aduertit Soto [q]) tractatus aliarum Virtutum nimirum Fortitudinis, aut Temperantiæ, nõ ab earum obiectis exorditur; ſed à Virtutibus quę faciunt rectitudinem in opere: tractatum vero Iuſtitiæ ab obiecto quod in rebus ipſis conſiſtit. Quin vero in alijs Virtutibus non tam propriè dicitur *obiectum*, quam *materia*, circa quam verſatur Virtus, vt materia Fortitudinis eſt periculum belli, & materia Temperantiæ, delectabilia tactus, inquibus virtus medietatem inter duos affectus conſtituit, ſed Virtutis Iuſtitiæ propriè eſt obiectum, *æqualitas ipſa rerum*, in quam, Virtus tendit, ſicuti viſus in colores. *Hucuſq; Soto.*

Superius *Iuſtitiam* in legalem, & particularem diuiſimus. [r] *Particula-*

p Ariſt. 2. ethic. c. 4.

q Domin. Soto de iuſt. & iur. l. 3. q. 1. art. 1.

r Ex Ariſt. 5. eth. ad Nicomach. c. 1. & 2. D. Th. 2. 2. q. 59. 60. & 61. Soto

ris

7 *ris* † vero quæ Virtus eſt Cardinalis rurſus diuiditur in partes *Subiectiua* *Integrales, et Potētiales.* Subiectiuæ ſubdiuiduntur in *Commutatiuam, & Diſtributiuam*, & vtraque iſtarum reſpicit debitũ aliquo modo, & æqualitatē cōſtituit quatenus in ratione iuſtitiæ particularis in genere conueniunt. *Commutatiua* † vt Reiſchus ait, [f] æqualitatem in commutationibus inter duas ſingulares perſonas ſeruat, in *proportione Arithmetica*, vt puta, tantum ſit pretium quantum valet res empta, &c. Sunt autem *commutationes*, vel voluntariæ, vel inuoluntariæ. *Voluntariæ* vbi ambobus interuenit conſenſus, vt *emptio, venditio, conductio, locatio, commodatio, mutuidatio, &c.* In quibus, neglecta iuſtitia, committuntur fraudulentiæ multiplices, & vſuræ, quæ rectificari debent per Iuſtitiam, reſtitutionis via. *Inuoluntariæ* cōmutationes ſunt, in quibus alter nō conſentit, ſed læditur verbo vel facto. *Verbo* quidem † in *Iudicio*, vel, *extra iudicium*. In iudicio per *Iudicem, accuſatorem*, & *teſtem*. Extra iudicium autem, *Per contumeliam*, ſi quis ea quæ ſunt contra honorem alicuius in notitiam ipſius, & aliorum deducit. *Per detractionem* quidem, ſi iſta fecerit occultè, vt deroget alterius famæ. *Per ſuſurrationem*. Si per hæc intendit amicitiam occultè ſepa-

vbi ſup. q. 2. Molin. de iuſt. & iur. tom. 1. tract. 1. diſput. 12.

8

[f] Greg. Reiſch. in margarita Philoſ. l. 12. c. 24.

* De commutationibus voluntarijs, & inuoluntarijs.

* De læſione verbi.

rare. *Per maledictionem*, ſi alteri malum intendens imprecatur. *Per deriſionem*, ſi per verba, & cachinos alium erubeſcere facit. *Per ſubſannationem*, ſi idē facit naſo rugato. *In facto* autem, alter ab alio læditur in *re*, vel *perſona*. In *re* quidem; per furtum in occulto; & per rapinā in publico. In *perſona* vero propria, vel coniuncta: vt puta vxore, aut liberis; per homicidium, mutilationem, verberationē, aut incarcerationē. Quas commutationes omnes, tenetur æquare iuſtitia commutatiua, ſaltim reſtitutionis via. * De læſione facti.

Diſtributiua † eſt, per quam bona communia iuſtè diſtribuuntur, non tamen æqualitatem quantitatis, quæ eſt *Arithmetica*, ſed æqualitatem proportionis, quæ eſt *Geometrica* cuſtodit.[t] Nō enim bona communia æqualia ſunt, nec ciues æquales: oportet ergo diſtribuentē, merita & conditiones vnius cuiuſq; accipientis attendere: & reſpectu illorum, bona illis diuidere; aliter ſtrenuè bellantibus, aliter formidoloſis, aliter Magiſtratibus, aliter plebeis. Veruntamen permaximè cauenda eſt in talibus, perſonarum acceptio: quæ fit, cum aliquid alteri datur, propter aliquid, quod non eſt cauſa, nec facit ad cauſam, propter quam accipiens, tali dono dignus ſit. 10

*De Iuſtitia diſtribut.

t Ariſt. 5. ethic. c. 3. & 4.

11 INTEGRALES † Iuſtitię partes ſunt facere bonum; & declinare à malo alteri nociuo. Primum vitiatur per omiſſionem boni debiti: ſecundum per tranſgreſſionem mandati, prohibentis malum alteri inferre.

* Quæ dicuntur partes potentiales Iuſtitiæ.

POTENTIALES vero Iuſtitiæ partes, dicuntur virtutes, quæ ſunt Iuſtitiæ annexæ vt *Religio, Pietas*, *Obſeruantia*, *Obedientia*, *Vindicatio*, *Pænitentia*, *Gratitudo*, *Veritas*, *Fidelitas*, *Liberalitas*, *Amicitia, ſiue Affabilitas*, *Epicheia*, & ſi quæ aliæ ſunt quæ ad hæc reduci poſſint. Hactenus Reiſchus. Quæ ſufficiãt, quia de his virtutibus, non quam amplè ipſæ patent venit nobis differẽdum; id enim diffusè Theologi abſoluunt: ſed quia Iuſtitia Iurium fons, & mater eſt, tranſitum per ipſam ſummatim nos facere decuit; vltimo notando, Iuſtitiã propriè non habere extrema malitioſa

12 † ſed habitum contrarium, *Iniuſtitia* appellatum: & quantum ad actum aſſignantur extrema vt *iniuſtum facere*, & *iniuſtum pati*, quod malum, non eſt niſi in agente propriè. Aliud autem fieri poteſt, non ex habitu Iniuſtitiæ, ſcilicet ſi non fiat *ex intentione*, ſed *ex negligentia vel paſſione*: vt ſi ius ſuum vnicuique non tribuit, aut iniuſtè iudicat, vel quia rectitudinem Iuſtitiæ prætermittit, aut iudicium vſurpat non ſubditos iudi-

* An Iuſtitia habeat extrema malitioſa.

cans: vel quia in dubio, vel in iudicio ſuſpicioſo, temerario, aut ex iudicijs leuibus, condemnat; inuidia aut propria malitia, vel inimicitia ductus, quod quicunq; fugere tenetur, ni ad gehennam edificare velit [u].

u c. honoratus, d. 74. C ſi propter inquit cre fac. ſit. li. vn. l. 10. Inno in c. litteras, de reſtitut ſpoliat.

De Iure Canonico, ſeu Pontificio.

SECTIO XII.

SVMMARIVM.

1 *De nominibus, Ius, Canon, & regula.*
2 *Iuris Canonici diffinitio.*
3 *De materia, ſubiecto, & cauſa finali huius Iuris,*
4 *De efficienti, & formali.*
5 *Ex quibus conſtet hoc ius.*
6 *Conſtitutio quotupliciter appelletur, & qua comprehendat.*
7 *De conſuetudine.*
8 *Conſultorũ deciſio, Palea, Rota deiſiones, & Ægidiana conſtitutiones, quam vim habeant.*
9 *Voluminum Iuris Canonici diuiſio.*
10 *De Decreti ſignificationibus, diffinitione, & differentia a Deretalibus.*
11 *De eius Compilatione, & diuiſione.*
12 *De Decretalibus, earumq; diffinitione, & compilationibus.*
13 *De Sexto, eiuſq; compoſitore, & diuiſione.*
14 *De Clementinis, & earum promulgatione.*
15 *De Extrauagantibus.*
16 *De ſimilitudine voluminum Canonicorum, & Ciuilium inter ſe; et de Canonicis Inſtitutionibus.*

1 IVs † vt initio diximus, & varia ſignificat [a], & nomen generale eſt, vniuiq; accomodandum iuri, Naturali, ſcilicet vel Gentium, vel Ciuili, vel Canonico. *Canõ*, Græcè, Latinè *regula* [b] vertitur, quamuis pro tributo frumenti, vini, carnis, olei, &c. in conſtitutionibus Imperatorijs [c] accipiatur.

Regula vero, propriè ſignificat (vt auctor eſt columella [d]) normam, quà lineæ reguntur. Sed tranſlatè accipitur, pro breui rerum præceptione vt Cicero teſtatur.[e], *Hanc*, inquit, *eſſe regulam totius philoſophiæ, conſtitutionem veri, falſi, cogniti, incogniti*. Et cum omnes Chriſticolæ ſub fidei regula exiſtant [f]: vniuerſæq; Eccleſiaſticæ cõſtitutiones, ſint morum, ânimorũq; regulatrices [g], ad ſempiternã fælicitatem comparandam; meritò *regula* pro *iure ſcripto* ponitur [h], *Canonq*; dicitur quælibet Eccleſiaſtica conſtitutio [i]; indeq; Ius *Canonicum*, & forſan vt Vulteius [k] vult, Synecdochicè, à parte nimirum illius corporis altera, in quam canones ſunt relati.

2 IVS hoc, multifariam diffinitum inuenies, † Ab Iſidoro Gratiano, & Auguſtino, *eſſe id quod in antiqua lege ac in Euangelio* [l] *continetur*. Ab alijs [m], *diuinũ eſſe quoddam, à diuino iure prouenieńs*. Alij autem dicunt, hoc Ius *eſſe* [n], *quod ciuium actiones ad finem æternæ beatitudi-*

a Leg. Ius pluribus, ff. de iuſt. & iur.

b Cap. canon, diſt. 3.

c Ex titul. Cod. l. 10. & C. Theod. de canone frumen. Vrb. Rom. l. 11.

d Colum. l. 3. c. 13.

e Cic. 4. Academ.

f 25. q. 1. c. prima ſalus.

g Cap. bene, diſt. 61. c. multos, diſt. 54.

h 56. diſt. cap. Cænomanenſe.

i Panorm. in cap. 1. de conſtit. cum alijs DD. & ſic accipi debet in l. priuilegia. C. de ſacroſan. Eccleſ. ibi vide Bart. & Bal. diſputantes, legibus an canonibus ſtandum.

k Herman. Vulteius in prolegomen. Iuriſprud. Roman.

l Habetur in c. 1. d. 1. & Matth. c 7.

m Prępoſ. Archid. Gem. & Bellam. in c. 1. diſt. 1. Abb. & Vincent. & alij in c. nimis de iureiur.

n Ioan. Paul. Lancellot. l. 1. Inſtit. Canon. tit. 1.

nis dirigit. Alij [o] *Conſtitutionẽ eſſe Eccleſiaſticam, continentẽ, quod in diuinis Scripturis, & legibus ſęcularibus inuenitur.* Qui, haud integre rem ipſam exponũt, vt diffinitionis modus exigit, ſi vero nonnulli hoc feciſſe videatur [p], prolixè ſe gerunt, & etiam prolixius aliquis [q], qui diffinitionem breuius aſſignaſſe teſtatur. Quibus pętermiſsis, hanc ex plurimorum doctrina delectam accipito: Ius Canonicum, *eſt Eccleſiaſtica, ex doctrina patrum, conſtitutio, firmata conſuetudo, ac Conſultorum communis deciſio, ad rectam viuendi normam, æternamq; beatitudinem adipiſcendam.*

o M. Anton. Cucchus l. 1. Pandect. tit. 1.

p Abb. Dec. & DD. in c. 1. de conſtit.

q Ioan. Bap. Pollianus de Iure Canon. l. 1. c. 1. circa finem.

* Iuris Canonici diffinitio.

In qua omnes quatuor cauſæ, quibus perfectius quælibet diffinitio exponitur comprehẽduntur, materialis, formalis, efficiens, & finalis. *Materialis* † vt aliquibus videtur, ſunt *Canones, decreta, & decretales epiſtolæ*; circa quæ verſatur Pontificium Ius. Alij vero (& vt credo melius,) malunt, quod *homo catholicus* dirigibilis ab hoc iure in Eccleſiaſticum bonum, ſit materialis cauſa, quia; cum hæc, communiter concidat cum ſubiecto; & operarius homo (qui ſecundum Eccleſiaſticas cõſtitutiones, ac regulas, actiones ſuas moderari tenetur) ſit huius facultatis ſubiectum: Idcirco ipſum hominem operarium, materialem eſſe cauſam iudicant. Licèt non deſint, qui 3

* Iuris Canonici ſubiectum.

ſubiectum huius iuris dicant eſſe *bonum Eccleſiaſticum, fidelium directiuum, deciſionem ſingulorum negotiorum continens, rerum Eccleſiaſticarum vtilitatem conſeruans*. *Finalis* cauſa, eſt, pænarum metu, præmiorumq; exhortatione, hominis actiones regulare, nedum quidem ad rectam, quatenus homo, in pace & quiete, cum publico Reipublicæ bono, vitam peragendam, (quæ illi, proxima eſt cauſa tamquam pars Eccleſiæ militantis) ſed etiam quatenus catholicus ad veri Dei cultum notionem habendam, ac ſummum bonum, cæleſtiumq; ciuium fælicitatem comparandã; quæ remota eſt cauſa, ad homineq; attinet, quia Dei adoptiuus eſt filius, ad ſupernam triumphantis Eccleſiæ habitationem creatus.

De cauſa finali huius Iuris.

4 *Efficiens* † cauſa eſt Romanus Pontifex Dei Vicarius, harum Canonicarum legum nomotheta, vnde ſicut ab Imperatoribus, Ciuiles cõſtitutiones nomen ſortitæ ſunt, *Cæſareæq;* aut *Imperiales* dicuntur. Parimodo hæc decreta & Eccleſiaſticæ conſtitutiones, ex eo quod à Pontificibus ſuum robur habẽt, *Ius pontificium* nuncupantur. *Formalis* cauſa, vt multi ſentiunt, bifariã accipitur, nempe pro forma tractandi, & pro forma tractatus. *Tractandi formam* appellant illum modum diffiniendi, diuidendi, pro-

* De formali cauſa.

hibendi, & exempla ponendi. *Formam vero tractatus* conſiſtere dicunt in diuiſione librorum totalium in partiales, & partialium in titulos, & titulorum in capita & hæc in paragraphos. Quæ omnia cum non ſubſtantiam concernant, potius debent appellari *modus*, quam *forma*. Quocirca dicemus, quod formalis huius iuris cauſa (quæ iuxta philoſophicam doctrinam dat eſſe rei) nihil aliud eſt; niſi quædam regulatio, ſeu directio humanarum actionum, ſecundum diuinam voluntatem facta.

Eccleſiaſtica ex doctrina Patrum conſtitutio.

Summorum † Pontificũ ſtatuta [r], vniuerſa Concilia, ac ſanctorum ſcripta, 5
ex quibus omnibus Ius Canonicum conſtat, ſub verbo *Patrum* complectitur. Nam fidelium omniũ pater eſt ſummus Pontifex, indeq; codicilli ſeu chartæ ei miſſæ ſic, vt more receptũ eſt, inſcribuntur *Beatiſſime Pater, &c.* Patres etiam ſunt Illuſtriſſimi Cardinales, Eccleſiæ cardines, necnon Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi qui Cõcilijs interſunt. Patres etiam illi antiqui ſancti, tùm in veteri teſtamento, tùm in tempore gratiæ, à Dei ſpiritu moti; è quorum traditionibus, expoſitionibus, & doctrina, (Romanorum Põtificum auctoritate inter Canonicas leges admixta) hoc ema-

r Cap.1.diſt.17.

6 nauit Ius.[f] Quibus ſubditur † quòd Eccleſiaſtica conſtitutio diuerſimodè accipitur, & appellatur: nonnunquam *ſanctio*[t] quãdo pœna imponitur: aliquoties *interdictum*[u] quando nulla pœna adijcitur: quandoque *dogma*[x] quia continet doctrinam fidei: quandoque *mandatum*[y] propter doctrinam de moribus: quandoque *decretum*[z] de quo mox dicemus quandoque *Canon* ideſt ſtatutum in Cõcilio:[a] quãdoque *Decretalis epiſtola*[b] de quibus omnibus per Abbatem & alios.[c] Et ſic ſub *Conſtitutione Patrum*, decreta, Canones, ac doctrina, Pontificum, conciliorum, ac ſanctorum, continentur, & etiam Regulæ Cancellariæ nuncupatæ, quæ tandiù legis communis vim nanciſcuntur, quandiù Summus Pontifex qui eas ſtabiliuit vixerit, vt praxi obſeruatum videmus; Felinus, Decius Ripa, Gomezius, & Mandoſius teſtantur.[d]

Firmata conſuetudo.

7 Conſuetudini † tribuendus eſt ſecundus locus poſt ſcriptam legem, dummodo nec Humanæ, nec Canonicæ aduerſetur,[e] quia Iuris eſt pars, non à ſcripto Iure deſcendens, ſed moribus, hoc eſt aſſiduis actibus introducta.[f] Quæ optima eſt legum interpres,[g] ſeruandaq; venit, eò quod longo fit tempore quo multa experiuntur. Ius vero ſcriptum, priuſquam ſingulæ circunſtantiæ debitè per-

f Cap. 1. & 2. diſt. 20.

t C. ſi quis vero, 5. q. 6.
u De conſecr. diſt. 3. c. non oportet.
x De conſecr. d. 5. c. fin.
y Diſt. 4. cap. denique.

z 25. q. 1. omnia decretalia.

a De conſecr. c. 2. d. 1.
b Gloſſ. 3. §. omnes hæ ſpecies diſt. 3.
c Abb. & alij in rubric. proœm. decret. & in c. 1. de conſtitut.

d Felin. in c ex parte, 1. de reſcript. Dec. & Rip. in c. 1. de conſtit. Gomez & Mand. in proœm. regul. cancell.

e Cap. conſuetud. d. 11.
f Cap. conſuetudo d. 1.
g Leg. minime, & l. ſi de interpretat. ff. de legib. l. ſemper in ſtipula, ff. de reg. iur. c. licet ex ſucepto de for. compet. Clem. dudum, §. verum de ſepult. l. 1. C. quæ ſit long. conſuet. gloſſ. in l. fin. C. de iur. domin. impetrand.

pen-

pendantur, ſubitanea nonnunquam fertur cogitatione. Et cum leges inſtituantur quũ promulgantur,& firmentur quũ moribus vtentium approbantur,ſic etiã moribus in contrarium vtentium antiquantur [h] quod ſufficiat, quia de conſuetudine infra ſpeciatim dicemus.

h Cap. in iſtis diſt.4.

Ac conſultorum communis deciſio.

Quidquid enim † frequenti calculo, 8
communiq; Iuriſconſultorum inſignium ſententia,præcedente dubio deciſum declaratumq; fuerit, pro lege habendum erit, [i] vbi Eccleſiaſticæ deſunt conſtitutiones,cõſuetudines; ac etiam Cæſareæ leges;quæ Canonicis deficientibus,adiri debent. [k] Nec obſtat quòd condendæ legis hi,auctoritate careant; quia quæ à communi Iuſdicẽtium aſſenſu deciduntur;cum religioni, publicoq; bono intendant atque proſpiciant, vim legis ſortiuntur,quaſi ab ipſa Eccleſia præciperentur. Indeq; externæ quædam legum auctoritates,à Gratiano in Decreto inſertæ, non ſunt improbandæ, quamuis ipſe qui eas recepit, nullam probandæ legis auctoritatem haberet, cum diſciplinæ conueniant,ſalutiq; proficiant, & ex tacito communiq; ſtudioſorum aſſenſu,vt Archidiaconus & alij notant, [l] pro legibus probatæ eſſe videantur, ijs exceptis;quibus inſcriptio *Palea* eſt,non à Gratiano primitus illi libro adiunctis,

i Felin. alijq. DD.in c. 1.de conſtit.

k Cap. 1. de oper. nou. nunc.c.lege, c.ſi in adiutorium, 10. d.c. hiſtoria, 23. q.2. c. ex antiquis, 54.diſt.

l Archid. & alij DD in Præem. Decretor. & Ioan.Bapt. Polian.de Iure Canon.c.1. in fi.

ſed ab incertis interpretibus, ad marginem Gratiani inſertis, & ſic nec pro certis legibus receptis. Rotæ vero deciſiones, quanquam grauiſſimorum ſunt patrum, maximamq; auctoritatem habẽt, non ideo vim legis obtinent. Nec etiam Ægidianæ [m] Conſtitutiones, etſi in hac Romana Curia nonnullæ earum, veluti perutiles cuſtodiantur. [n]

m Ab Aegidio Cardin. dum Picœno præfuit cõſtitutæ.

n Octau. Veſtr. in praxi lib. 7. c. 7. num, 5.

Ad rectam viuendi normam, &c.

De hoc quia inferius agemus, [o] & proxime in cauſa finali iuris obiter egimus, non agimus.

o De eminent. iur. can. ſect. vlt.

Voluminum Iuris Canonici diuiſio.

9 EIus volumina, † in duo genericè diuiduntur. Primum & antiquius *Decretum* appellatum. Secundum *Decretales*, quarum volumen hactenus dicebatur Extrauagans. Cum vero ſub decretalium nomine compræhendatur etiam liber, ratione numeri *Sextus* inſcriptus, à primis quinque decretalium diuiſus, & ſpecificè citatus: pariterq; liber Clementinarum & Extrauagantiũ; qui omnes, à profeſſoribus Iurium, diſtinctis, proprijsq; notis allegantur, in quatuor diuidi partes haud inconſultum erit, videlicet *In Decretales, Sexto, Clementinas ac Extrauagantes*. Et quælibet pars habet plures rubricas, ſiue titulos, in qui-

bus præmittitur materia in generali de qua tractatur in capitibus ſequentibus in ſpeciali. Et ſub qualibet rubrica ſunt vnum aut plura capitula & Canones; quæ in paragraphos & verſiculos ſubdiuiduntur.

De Decreto.

ACturus de decreto, non abs re erit huius nominis varia ſignificata, Iurium ſtudioſis, paſſim neceſſaria, breuiter attingere. *Decernere* † generale verbum, ſignificat quandoque deliberare ex Terent. [p] 10

Quidquid peperiſſet, decreuerunt tollere ideſt *deliberarunt*. A Poetis per translationem, pro *dimicare*, acceptum, eorum princeps [q] teſtatur.

Ipſumq; iubet decernere ferro.

Significat etiam *ex poteſtate conſtituere*, vnde Aſtronomi *decreta ſyderum* dicunt; & Iulius firmicus ait, ſidera decernere felicitates, infelicitatesq; mortalibus. *Statuere* [r] etiam ſignificat vnde *actionem decernere* ideſt *Prætor dare* dicitur. [ſ] Significat etiam *certam ſententiam proferre* vt Senatus decretum, ex Oratore dicente. [t] *Expectanda magis decernendi ratio, quam decretandi fortitudo*. Hinc *decretum* apud Iuriſconſultos accipitur *pro ſententia diffinitiua*, [u] &

p Terent. in Andr.

q Virg. lib. 11. Aeneid.

r Leg. penul. ff. de offic. præt. l. 2. ff. quod quiſque iuris in alienum ſtatuit.

ſ Leg. 2. §. interdum, ff. de vulg. & pupil.

t Cic. lib. 1. Offic.

u ff. de re iud. leg. decreta.

quandoq; *pro interlocutoria* [x] quanquã *decretum*, à *ſententia diffinitiua* differre dicitur, eo quod, hæc condemnationem vel abſolutionem continet [y]; illud vero ſecus. Item quia ſententia non poteſt ferri ſine litis conteſtatione, [z] vt decretum. [a] Item etiam ſententia nequit ferri in abſentem, [b] vt decretum fertur. [c]

Accipitur etiam *Decretum* pro iudicis deliberatione cum cognitione cauſæ, [d] vt idem ſit quod aliàs *placitum* dicitur; Græcè *dogma* Vnde Cicero [*] *Sapientiæ* (inquit) *quid futurum eſt, quæ neque dubitare debet de ſuis decretis, quæ Philoſophi dogmata vocant?* Dogma etiã, aut Decretum, à Iuriſconſultis frequenter *Senatus conſultum* appellatur, [b] & apud Cornelium Tacitũ ſæpiſſimè; quãuis non deſunt, qui diſtingant [c] *Senatus decretum*; à *Senatus conſulto*; quia *Senatus decretum* iudicant eſſe quandam Senatusconſulti particulam, vt cum prouincia alicui decernitur; tanquam *decreta* ſint ſpecialia, *conſulta* vero generalia. Decretum eſt etiam conſenſus eligentiũ in ſcriptis redactus. [d] Item ſtatutum alicuius Vrbis. [e] Vel illud quod Capitulũ, ordo, vniuerſitas, aut maior pars ordinauit. [f] Vel iudicis auctoritas interpoſita præcipuè in alienationibus bonorũ minoris, in eius poſſeſſione, & alimentorum tranſactione. [g] Vel Principis au-

ctori-

x ff.de aſſeſſorib.& domeſt. L.1. in fi.

y Leg.1.ff.de re iudic.l. præſes.C. de ſentent. & interloc.

z Toto tit. vt lite non conteſt.

a Gloſſ.in verb.per cõtumaciam. L.ſancimus. C.ad Senatus Trebell.

b L.de vno ff. de re iudic.

c Leg.recuſare in princ. ff. ad Trebell.

d Leg. ne quicquam. §. vbi ff.de off.Proconſ.

* Cic.4.Academ.

b In l 2.ff. ad Senatuſc. Vellei. & leg. 17. ff. ad munia.

c Feſtus l. 17.

d 2.q.1.c. legum. & de elect.cap.innotuit.

e Leg.1.ff.de decret.ab ordin.fac.

f ff. quod cuiuſcunque vniuerſit.nomine vel cõtra. eam agatur. Leg. planè,& fere per totũ.

g Leg.inter, & per totũ C.de prædijs minorum.

ctoritas gratiam confirmans in reſcriptis beneficialibus [h] Vel Iuſſus Iudicis, aduerſus bona alicuius, propter eius contumaciam expeditus, non ideo Ius contumacis extinguens, ſed vt is tædio ductus tandem in iudicio compareat. Et hic iuſſus diuiditur in primum, & ſecundum Decretum ſeu Edictum.

Primum decretum, eſt *prima iudicis aggrauatio*, [i] *bona alicuius in punitionem contumaciæ detineri præcipiens*.

Secundum decretum eſt, *reaggrauatio iudicis vt contumacis bona ex primo decreto detenta, poſſideantur a detinente* [k] *incolumi remanente contumacis iure*. Hoc an habeat locum in actionibus tam realibus, quam perſonalibus plenè agit Bartolus. [l] Et, an poſſit contra debitorem non latitantem interponi (nam contra latitantem, non eſt dubium) [m] notant Baldus, ac Ioannes Andreas. [n] Sed ne hic immoremur, ſi materiam hanc primi, ac ſecundi decreti diffusè tractatam videre exoptas, Bartolum, Speculatoremq; [o] conſule.

Demum vt ad rem noſtram reuertamur Decretum eſt, [p] *Romani Pontificis de conſilio Cardinalium, ad nullius tamen conſultationem ſtatutum, in ſcriptis redactum* Et differt à Decretali epiſtola eo quod hæc ad cõſultationem alicuius reſcribitur, vel à ſolo Pontifice, [q] vel de

con-

h De reſcript. c. gratia lib.6.

i Cap.quoniam frequẽter, §.in alijs & ſequẽt. vt lite non conteſtat.

k De eo, qui mittit.in poſſeſſ.c.1. in gloſ.vlt.

l Bartol.in c. contingit de dolo, & contum. in gloſſ. vlt.

m Leg.Fulcin. §.ſi quis poſſidet, ff.ex quib.cauſ. in poſſeſſ.eatur. gloſſ.in c.conſultationibus de offic.deleg.

n Bald. de milite vaſſallo, qui contumax eſt, in vſibus feudor. Ioan. Andr. in c. conſultationibus, de off.deleg.

o Bartol. in l. ſi finita, §.Iulia ff.de damno infecto. Speculat in tit.de primo & 2. decr. §. dicitur ergo.

p 20.diſt.cap. ſi decreta, & ſeq.

q De reſcript.cap.1. & gloſſ.3.§.omnes hæ ſpecies, diſt.3.

conſilio Cardinalium . Vnde verſus.

Decretum ſtatuit,decretaliſq; reſpondet.
Sed in præſenti *decretum* ſumitur pro illo libro aut volumine Canonici Iuris, à Gratiano compilato. Cum enim † antiquitus Pontificum ſtatuta, ac Sanctorum patrum deciſiones, (priuatim, aut publicè in conſilijs factæ, quæ Canones dicebantur, eò quod eſſent ceu certæ regulæ ſequendæ) diſperſæ circunferrentur; & aliquo modo, quædam earum inter ſe ſe diſſentire viderentur, forſan quia pro locorum, perſonarum, rerum, ac temporum varietate, diuerſimodè fuiſſent conſtitutæ, vel ex tranſcriptionibus deprauatæ: vt omnia fideliter legi ac ſequenda deligi, & contraria (ſi aliqua eſſent) conciliari poſſent, [r] Gratianus Sancti Proculi Monachus illas in vnum volumen cōgeſſit, anno Chriſti. 1151. ſub Eugenio III. Pontifice maximo, à Decretis Pontificum, Patrum & Synodorum in eo contentis, *Decretum* inſcriptum. Quod in tres præcipuas diuiditur partes: quarum prima, quia centum & vnam diſtinctiones complectitur, ab eis nomen ſortitur *Diſtinctioneſq;* appellatur. Harum ſingulæ ſuos habent Canones: pleriq; paragraphos, & hi verſiculos.

11

Secunda pars, *Cauſæ* nomen obtinet, à triginta & ſex cauſis, ex quibus quæſtiones diſputandæ eliciuntur. [ſ] Hæ cau-

ſæ

[r] Rubr. initio, Decretũ eſt *Concordia diſcordantium Canonum.*

[ſ] Vt colligitur ex diſt. vlt. & princ. cauſ. 1. q. 1.

ſæ diuiduntur in quæſtiones, canones, vel capitula: paragraphos, & verſiculos. Sed eſt obſeruandum quod trigeſima tertia cauſa; in ſex partita eſt quæſtiones; & loco *quæſtionis tertiæ* inſeritur tractatus de Pænitentia, ſpecificè citatus, ac ſeptem diſtinctionibus diuiſus; & hæc vlterius in capitula, vel canones & paragraphos.

Tertia & vltima decreti pars, *de Conſecratione* dicitur; quæ quinque diſtinctionibus abſoluitur, & hæ ſuis Canonibus, & omnia his tritis verſibus.

Decretum centum diſtinctiones dat, & vnam,
Triginta cauſas, & ſex addit tibi miſtas
Diſtinguit ſeptem pœnitentia, conſecra, quinque
Auctorem quarum tibi declaro Gratianum.

De Decretalibus.

SEcundum Canonici iuris volumen *Decretales* dicitur, † ſubaudiendo, *Epiſtolas*, quia *ſunt Conſtitutiones, vel Epiſtolæ, quibus Romani Pontifices ad conſultationem aliquorum reſpondent* [t]. Et nihil refert quod de Fratrum conſilio, vel à ſolo Pontifice fiant. [u] Harum, quæ in ſpecie, *Decretalium* appellationem retinent, à Gregorio Papa 9. com- 12

t De reſcript. cap.1. & gloſ.3. §.omnes hæ ſpecies, diſt 3.
u De elect.c. bonæ memoriæ. 1.

poſitæ

poſitæ ſunt . Et poſtea ipſius iuſſu in vnam compilationem redactæ (ſimu cum diuerſis prædeceſſorum ſuorum decretalibus epiſtolis, apprimè correctis & concordatis) per Magiſtrum Raymūdum Cappellanū ſuum , dudum noſtris temporibus à Clemente Octauo in Catalogo Sanctorum inſertum . Et hæc Raymundi compilatio extracta fuit ex illis quinque prioribus compilationibus *Bernardi* , *Ioannis Gallenſis* , *Petri Benauentani*, *Tancredi*, *&* *Honorij* , circa annum Chriſti M. CC. XXXI. tempore Friderici I I. Imperatoris . Et ſic annis fere 38. poſt compilationem Decreti,in hanc formam redactæ fuere Decretales : quinque diuiſæ libris,ſub quibus tituli , & capitula ſunt diuerſa , ac etiam paragraphi,& verſiculi, quorum materia hic verſus indicat :

Iudex , Iudicium , Clerus , Sponſalia , Crimen .

De Sexto .

HIs quinque libris acceſſit poſtea anno Domini. M. CC. XC. VIII.
13 qui *Sextus* dicitur † non quidem cum alijs quinque prædictis, vno contextus volumine, ſed diuiſus , ſimpliciterque *Sextus* nuncupatus,& ſpecificè citatus, & à Bonifacio Papa 8. anno prædicto ,

† Liber ſextus , à quo compoſitus .

ſui

ſui Pontificatus 4. compoſitus. In quo ſimul cum ſuis Epiſtolis alias Greg. X. Innocent. IV. & Clement. IV. prædeceſſorum, in vnum recolegit; ac quinque diuiſit partibus vel libris, quibus, caſus denuò emergentes, non plenè in Gregorianis Decretalibus deciſi, nec comprehenſi, adiunguntur. Quilibet horum librorum habet, ſicut cæteri, titulos, capitula, & paragraphos.

* Liber Sextus à quo compoſitus.

De Clementinis.

TErtia Decretalium pars, ſub *Clementinarum* nomine, † ſpecificè al 14
legatur, quia Clementis Papæ Quinti Conſtitutiones continet, ab ipſo quidē Conceptæ anno Domini 1310. in Viennenſe Concilio, quod tantum per vnius ſemeſtris ſpatium permanſit; quæ cum ipſe Clemens morte præuentus, ad publicum perducere nequiret; demum à Ioanne pp. 22. aliquibus immutatis, & completis, fuere promulgatæ anno ſalutis humanæ 1318. 4. Kal. Nouembr. x Ludouico V. in Occidente Imperante, & in quinque, veluti Decretales & Sextus diuiſæ ſunt libros, ſed pauciores continent titulos, & capitula.

x De quo vide gloſſ. in proœm. Clem. verb. Nouemb. & in verb. Pontificatus.

De Extrauagantibus.

QVarta & vltima Decretaliũ pars, 15 *Extrauagantes* dicitur, † ſubaudiendo etiam Conſtitutiones, quæ à Ioanne pp. 22. editæ, extra prædictos libros per ſe vnitæ, frequentantur; ſicuti quædam Imperatorum Conſtitutiones, conſuetudinibus feudalibus adiunctæ inueniuntur.

His prædictis voluminibus, omnes Canonici iuris abſoluuntur libri. De 16 quibus †, vt Vulteius [y] ait, *Decretum ſe habet, vt in corpore Iuris Ciuilis digeſta; Decretales, vt Codex quoad partem primam, quoad cæteras duas, vt Nouellæ.*

y Herman. Vulteius in prolegom. Iuriſpr. Rom.

Plures alias Decretales Epiſtolas, per Ioannem pp. 22. à Pontificibus ſucceſſoribus vſque ad Sixtum V. immortalis recordationis editas, Lugduni impreſſas, inuenies. Subſequentes vero, vſque ad Sanctiſſimum dominum noſtrũ Paulum pp. V. Stephanus Quaranta [z] colligauit, & eruditiſſimis annotationibus expoſuit.

z Stephanus Quaranta, in Summa Bullarij.

Inſtitutiones etiam Canonicas, quibus Pontificium Ius, laudabili methodo libris quatuor comprahenditur, & ſimilitudinariè, ſingula huius iuris volumina, ſingulis iuris Ciuilis voluminibus reſpondent, Ioannes Paulus Lancellottus doctiſſimus I. C. Peruſinus [a],

a Vt ipſe Lancellottus refert, teſtimonijſq. adductis, probat in lib. 1. commentarij Inſtitutio. iur. canon.

Pauli pp. 4. iuſſu, ſatis artificiosè, ac eleganter ſcripſit. Sed tandem pro infelici rerum euentu, à Pontifice non cōfirmatas etſi ei exhibitas, ipſe auctor, eas, ſuo priuato nomine, æternis laudibus commendando, in lucem edidit. Paulò poſt, eodem ductus animo Marcus Antonius Cucchus, Canonici Iuris Inſtitutiones quas Minores vocat, deinde alias Maiores, ſeu Pandectas inſcriptas, quinque libris diuiſas, ſub primi Pentatheuci titulo typis mandauit. Opus quidem noſtri Iuris profeſſoribus proficuum, ſi cæteri Pentatheuci, qui deſiderantur, præ manibus haberentur.

Hæc ſic raptim expoſita, reſtat conſequenter nunc de Pontifice maximo, vero huius Iuris Legislatore nonnulla breuiter enarrare, vt inde colligi poſſit quanta ſit huius ſupremæ dignitatis poteſtas.

De Pontifice Maximo.

SECTIO XIII.

SVMMARIVM.

1 *Chriſti D. N. Vicarius cur Pontifex Maximus, & Papa appellatur.*

2 *Eius auctoritas non ab Eccleſia, ſed à Chriſto eſt.*

3 *Eius electio ad Collegium S. R. E. Cardinalium attinet.*

4 *Non Lateranenſis Eccleſiæ, ſed Orbis, & Vrbis, vniuerſalis Epiſcopus eſt, ad quem ab omnibus appellatur, ab eo autem nullatenus.*

5 *Vniuerſale Concilium, an ſit ſupra Papam; & ipſe an ſe Concilio ſubÿcere valeat.*

6 *Eius poteſtas in eligendo, & deponendo Imperatore; ac in deponendis Regibus.*

7 *Et in creandis & deponendis Cardinalibus, ac in omnibus Epiſcoporum, & Epiſcopatuum rebus.*

8 *Multa numerantur, quæ à ſolo Romano Pontifice fieri, & diſpenſari poſſunt.*

9 *Alia plura referuntur, ad ipſum duntaxat etiam ſpectantia.*

10 *Verſus Pontificiam poteſtatem, omneſq; ferè caſus, quibus ipſe diſpenſat, continentes.*

DVplici nomine, Chriſti D. N. Vicarius inſcribitur, quandoque *Pontifex maximus*, quandoque *Papa.*

1 *Pontifex*, † (omiſſa Sublicij pontis factura, & reſtitutione, [a] à qua quia pontem fecit, Pontifex appellabatur Æthnicorum tempore ſummus Sacerdos [b]) à *poſſe*, & *facere* dicitur: nam omnia facere poteſt.

Maximus, quòd maximus rerum quæ ad ſacra, & religionem pertinent iudex ſit.

Papa, ideſt *admirabilis*, quia vices Dei gerit in terris, à *Papæ* interiectione admirantis, affectum verbi *miror* habente. [c] Vel *Papa*, ideſt *pater*, ab illa prima infantulorum voce *pappa*, qua

pa-

a Ex Varro. lib.4. ling. latinæ.

b Liu. initio l.2. Cic. in Orat. de haruſp. reſp.

c Terent. in Eun. Papæ, hæc ſuperat ipſam Thaidem.

patrem compellant: vel à voce Græca *pappos*, Latinè *pater*, quod eſt nomen venerationis à Syracuſijs tractum: inde *pappas*, ideſt *pater*, ſiue *qui puerum alit*, ex Iuuenale [d].

d Iuuenal. Satyr. 6.

Timidus prægustet pocula pappas.

Vel *Papa* quaſi *pater patriæ*, vel quaſi *pater patrum*, ſecundum Ioannem Andream [e], deſumptæ priores tantum ſyllabæ: nam Supremus Princeps, ac Pater eſt, nedum Eccleſiaſticorum omnium, ſed vniuerſalium Orbis Orthodoxorum. Vel dices, quod cum omnes Epiſcopi, & Sacerdotes ſint patres noſtri ſpirituales, & Pontifex ſit pater eorum, merito *Pater patrum* appellatur: Quod etiam deduci poteſt à nomine *pappus pappi*. ſignificante idem quod *auus aui*. ex Auſonio [f]. Et quamuis hoc Papæ nomen, aliquibus Epiſcopis ſanctitate conſpicuis, non vero ſupremum ad Pontificatum euectis, nonnunquam tributum fuiſſe inueniamus [g]; id abuſiuè, aut impropriè factum dicemus; Cũ ſoli Vicario Dei hoc conuenire nomen, ac ei nonnuper, ſed iam olim, ab omnibus Orthodoxis impoſitũ eſſe conſtet, ex B. Ignatij Antiochiæ Epiſcopi tertij, teſtimonio [h].

e Ioan. Andr. ſuper ver. Papa, in proœm. Clem.

f Auſonius ad Nepotem ſuum.

g c. ſi Papa, diſt. 40. gl. in c. abſit, d. 50. gl. in c. didicimus, 24. q. 1. c. ſani profertur, 24. q. 2.

h B. Ignat. Antiochiæ poſt S. Petrum Apoſtoli Epiſcopus tertius, in ſuarum epiſtolarum.

Demum † is Pontifex, qui omnia poteſt cum Dei vices gerat, Maximus rerum Eccleſiaſticarum iudex, Papa vel 2

admirabilis,& Pater patrum; eſt verus Canonicarum legum lator cæteris legum latoribus longe excellentior: quibus legis auctoritas atque poteſtas, à communi omnium populorum aſſenſu commiſſa fuit [i], Pontifex vero non gerit Eccleſiæ vices, quaſi ab illa auctoritatem nactus, ſed quaſi Chriſti Vicarius, à quo vtiq; ſolo,licèt per Eccleſiam eligatur, auctoritatem ſuſcepit [k], per illa verba [l] *Paſce oues meas*. quæ diuo Petro dicta ſunt, & conſequēter omnibus Pontificibus Maximis ſucceſſoribus Canonicè electis.
3 Quorum electio † ad Illuſtriſſimorum Cardinalium collegium attinere [m], nemìnē latet; quod adeò procedit, vt ſi omnes Cardinales è vita diſceſsiſſent, vno remanente,poterit ille ſolus Pontificem eligere [n]. Quid vero faciendum eſſet defunctis omnibus, non eſt cur nos torqueat, cum accidere, ferè impoſsibile ſit, diſcorsq; circa hoc ſit Doctorum ſententia [*]. Quocirca ad Pōtificem, à quo noſtra defluxit oratio, reuertamur.

Pontifex Maximus qui nō Eccleſiæ La
4 teranenſis † vt vulgo dicitur, ſed totius vrbis [o] & orbis vniuerſalis Epiſcopus eſt [p], ſic ſupra mortales cælica fungitur poteſtate, vt ab omnib⁹ catholicæ Eccleſiæ Principibus, ab ipſoq; Imperatore, in rebus animæ ſalutem ſpectantibus,ad

i L. quod placuit. ff. de conſtit. princ.

k Cap. 1. diſt. 22.

l Ioan. 21.

m Cap. 1. & 2. diſt. 79. c. In nomine Domini, diſt. 23. c. vbi periculum. §. 1. de elect. in 6. c. licet de vitanda, de elect.

n Gloſſ. & DD. in clem. ne Romani, de elect.

* DD. in tit. de el. Anto. in 3. p. ſum. tit. 22. Aug. de Ancona, de pot. Papæ q. 5. Iacobat. l. 1. de Cōc.

o Et ſic Romanæ vrbis Epiſcopū ſe appellat, c. nunc autem, diſt. 21. cap. tranſmarin. d. 98. in rub.

p Cap. duo ſunt, diſt. 96. ver. B. etiam Ambroſ.

ſupremũ ipſius examen appellationes deferantur[q]. A ſententia vero ſua haud quaquam interponi poteſt appellatio, nec ad cætum Cardinalium vt Bartolus poſſe dixit[r],quia ipſis ſuperior eſt [ſ].Nec ad futurum Pontificem,cum non habeat poteſtatem iſto ſuperiorem,& non oporteat appellationem ad compares iudices referri, ſed à minori iudicio in maius tribunal aſcendere. Nec ad vniuerſale Concilium(vt quidam inutiliter fecere [t],& alij perperã poſſe fieri dicũt [u]) quia nullus in terris eſt ſupra eũ, à quo iudicandus ſit: excepto Generali Concilio † quando de hæreſi contra eum agatur [x]. Et tunc locum habet,quia hæreſi infectus, ipſo iure priuatus eſt Pontificatu,[y] & nõ Põtifex,ſed diabolus eſt. Si vero hęreſim ſuã agnoſcat, & deteſtetur,priuſquã iudicium aduerſus eum ſequatur, nõ poterit à Concilio iudicari, nec vllo alio caſu,vt dictũ eſt,hęreſi excepta,[z] quod apertè illo habetur carmine.

Si ſit Catholicus,Papam non iudicat vllus.

Quod tantopere procedit, vt nec ipſe Pontifex, etſi libenter velit, ſubijcere ſe Concilio generali valeat,[a] nec maieſtati dignitatis ſuæ,quæ à Deo eſt,[b] aliquid detrahere,Et ſic alicui priuilegium concedere non poterit, vt ab ipſo excommunicari aut iudicari nequeat, nec ad

q Cap.ipſi ſunt canones 9.q.3. Card.Alba. in tr. de pot.Pap.2.p.num.50. Beroi.in Rubr.de conſt. num.39.

r Bart.in l. vbi abſunt. ff de tutor.& curat.dat. ab his.

ſ Andr.Sicul.in conſil.1 col.20 & ſeqq. Iacobat. lib.10.tit. an appellatio à Concil. Manfred. in deciſ. 391.confutantes. Bartolum.

t Cardinalis Columna: Philippus Rex Franciæ: & Reſpub. Veneta, & Florentia, ex Bonifacij 8. Vita, & Guichiardini hiſtor.lib.8.17.& 20.

5

u Franc.Marchis.q.456 nu. 58. Decius in cap. cum veniſſent, nu.8. de iudic. Abb.in diſputat. inci. Epi.q.2.col.4.

x Cap. nunc autem vbi notat.diſt.21. Innoc. c. ex parte.j. de verb. ſignif.Ioan. And.c.in fide de hæret.

y Cap.factus eſt 7.q.1.c. ſanè.16.q. vlt. c. dicamus.24 q. 1.

z Cap.Achatius 24.q.1. in gl. Gloſ. in c. nunc autem verſic.Marcellinus diſtinct.21.Cap.cuncta per mundum. 9.q.3 DD. in Rub. de conſtitut.

a Ioan.And.Dec.Fel. & alij in c.Eccleſia S.Mariæ de Conſtitut.Alb.2 p. de poteſt.Papæ nu.8.

ſe vocatus venire teneatur. Nam hoc eſſet à poteſtate Dei, quã in terris fungitur illum eximere, quod non licere haud dubium eſt. Nec etiam ſtatuere, vt ab eius ſententia appellatio interponatur; cum ab ea, nec ad Deum appellari poſſit. [c] Quia ipſum adire, agendi negocij cauſa, fas hominibus non eſt; nec à Vicario ad Epiſcopum appellatio datur, cum vnus & idem, ſit vtriuſq; tribunal, & Pontifex Chriſti D.N. Vicarius eſt in vniuerſo mundo, [d] Omniumq; Eccleſiaſticorum, & ſecularium Principum, † ſu-
6 premus Princeps, cui omnes parere tenentur [e] ſub iactura ſalutis æternæ. Cuius maxima poteſtas, transferre valet Imperium ab vno Regno ad aliud, ſicuti Leo Papa III. Imperium Romanũ à Græcis ad Gallos tranſtulit, & remanente apud Græcos Orientali Imperio, Carolum Magnum Pipini filium Imperatorẽ Occidentalem conſtituit, & coronauit anno Domini vt vult Genebrard. [f] 800. vel vt alibi ſcribitur [g] anno 776. hoc à Stephano Papa factum eſt: forſam hic incepit, & ille perfecit. Ad ipſumq; ſolum attinet electioni Imperatoris legẽ præſcribere: Imperatoremq; electum confirmare, inungere, & conſecrare, [h] vt verum, propriumq; Imperatoris titulũ geſtare poſſit: quia antequam confirmetur, non Imperator, ſed Rex Romanorũ

dicetur.

Alex. & Dec. in l. eſt receptum. ff. de iuriſdict. omn. Iudic. Clarus recept. ſent. li. 5. §. fin. q. 35 Roman. ſingul. 134.

b Cap. 1. diſt. 22.

c Turrecr. in d. c. cuncta per mundum.

d Cap. Romanæ. de appellat. in 6.

e Cap. omnes Principes de maiorit. & obed.

f Ex Platina & Blondo refert Gilbert. Genebr. l. 3. & 4. Chronol.

g Gloſſ. in c. Venerabilem de elect. verb. tranſtulit, c. alius. 15. q. 6.

h Cap. venerab. verſic. numquid enim de elect. Cucch. Pandect. l. 4. tit. de elect. nu. 353.

dicetur. [i] Et ex duobus pariter electis quem maluerit confirmabit. Ac etiam compellere poterit illos ſeptem Germaniæ Principes, Imperij electores, (videlicet tres Archiepiſcopos, *Maguntinum Treuerenſem & Colonienſem.* Vnum Regẽ *ſcilicet Boemiæ* Vnum Ducem, *ſcilicet Saxoniæ* vnum Comitem *ſcilicet Palatinum* vnum Marchionem ſcilicet *Brandiburgenſem* quibus ipſe hanc eligendi facultatem conceſſit, (auctoritate approbandi, vel caſſandi electionem, ſibi reſeruata) vt quamprimum Imperatorem eligant. Quod ſi facere recuſent nimiumq; procraſtinent, admonitiq; & expectati, in vnum conuenire noluerint, indeq; periculum Chriſtianæ Reipublicæ ſediq; Apoſtolicæ ſequatur, ſolus ipſe Pontifex Imperatorẽ poterit eligere, [k] ne Romana Eccleſia defenſore careat, ſicut etiam poteſt ipſum iudicare, ac etiam deponere; [l] quamuis confirmatũ & coronatũ ſit, vt depoſuit Innoc. IIII. Federicum II. [m] quæ ſuccintè illo continentur carmine.

Approbat Imperium, firmat, deponit & vngit.

Poteſt etiam deponere Reges, exigente graui fidei cauſa, quia ſpiritualis Papæ poteſtas, annexam habet plenam poteſtatem in Principes ſeculares, & temporalia, quantum poſtulat finis ſpiritualis [n] Quo deficiente, ad Reſpublicas ipſas,

i Clem. 1. de iureiur.

* Imperij electores.

k Ex locis ſupracitatis.

l Cap. ad Apoſtolicæ de ſent. & re iudic. in 6. vbi DD. cap. alius, 15. q. 6. c duo ſunt, 96. diſt. vbi gl. & d. c. Venerab. de elect.

m Ex d. c. ad Apoſtol.

n Reſoluit Lud. Mol. de iuſt. & iur. to. 1. tract. 2 diſp. 29.

orbis parte venientes, ſine dimiſſorialibus literis, & extra tempora Ordinibus ſacris aggregare:[a] Et qui à Pōtifice Maximo ordinatus fuerit, niſi ab eo licentiam habeat non debet ab alio ad maiores ordines promoueri.[b] Qui autem ſcienter vel ex ignorantia craſſa ordines receperit, ab Epiſcopo hæretico, vel ab Eccleſia abſciſſo, vel ab eo qui renūciauit loco, & ordini Epiſcopali; ſuſpenſus remanet, quia à ſuſpēſo recipit ordines: & à ſolo Pontifice Maximo diſpenſationem aſſequi poteſt.[c] Si vero inſcienter & poſtea quamprimum ſciat, ab executione ordinis abſtineat, ab Epiſcopo diſpenſabitur.[d] Sed qui in ordine nondum accepto, miniſtrauit, vt ad maiores aſcēdere poſſit, Pontificia indiget diſpenſatione: & etiam qui ſcienter bis eundem ordinem ſuſceperit, vel rebaptizari, vel ſacro chriſmate bis confirmari, ſubſtinuerit[e] vel ſcienter excōmunicatus intra ordines ſe ſe irrepſerit[f].

Solus etiam quæcunque Orbis vniuerſi beneficia conferre poteſt[g], quia totius mūdi Ordinarius eſt: & quod quis duo curata, aut incompatibilia beneficia habeat[h]: vel duas Cathedrales Eccleſias retineat[i]: & quod alicui beneficium ad tempus cōferatur[k]; (quamuis beneficia perpetuo apud prouiſum exiſtere ſemper viſum fuit[l]:) & beneficium

a Leg. ſi puellæ ff. de ſponſal.

b Cap. cum in diſtribuidis, vbi gloſſ. & Abb. de tempor. ordin.

c S. Thom. in 4. diſt. 25 Oſtienſ. in c. ordinationes, 9. q. 1.

d Silueſt. ver. ordo. Borgaſ. de irregul. p. 3. tit de diſpenſ. Epiſc. n. 13.

e De conſecr. diſt. 5. c dictum eſt. c. eos, & c quibus de conſecr. d. 4.

f Cap. cum illorum de ſent. excomm.

g Cap. cūcta per mundum, & c. per principalem, 9. q. 3. c. propoſuit de conceſſ. præb.

h Cap. de multa. vbi not de præbend.

i Cap. dudum. 2. vbi gl & DD. de elect.

k Not. in c. vnic. de capell. monach. in 6.

l Cap. præcepta diſt. 55 & c. ſanctorum, d. 70.

nondum vacans conferre, ſeu ius ad beneficia vacatura tribuere [m]; & aliquem ſine cauſa beneficio priuare, vt ſuo tempore factum fuiſſe teſtatur Cucchus [n], & Eccleſiaſticis perſonis priuilegia immunitatis, arbitrio ſuo, etiam ſine cauſa adimere. Et ſimplici Sacerdoti (non vero Diacono, nec alio [o]) facultatẽ miniſtrandi Sacramẽtum Confirmationis [p] & pollutum cœmeterium, vel violatam Eccleſiam reconciliandi, [q] tribuere poteſt. Clericos quoſcunq; † ab Epiſcoporum
9 iuriſdictione ſubtrahere. [r] Canones generales condere. [ſ] Cum Simoniaco, & Simoniæ mediatoribus diſpenſare. [t] Inſigne vitium corporis habentem, [u] apoſtatam [x] homicidam aut membri mutilatorem, vel ex quibuſcunque maioribus criminibus irregularem, ad ſacros ordines habilem reddere: [y] Quos concilium damnauit, & quemcũq; alium ab omni reatu, vno verbo abſoluere. In gradibus non lege diuina prohibitis [z] ad matrimonium contrahendum admittere [a] & matrimonium ratum, non dum conſummatum diſſoluere [b] bigamum relaxare; [c] facto & ſolemniter depoſitum reſtituere monacho licentiam egrediendi clauſtra concedere vt Prælato vel Principi inſeruiat: & quod nouitius eligatur Abbas. [d] Votum Religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ Compoſtellanæ, ac Ro

m Cap. nulla de conceſſ. præb. c. licet 1. de præb. in 6.

n Cucch. Pand. l. 2. tit. 2. num. 58.

o DD. in c. quanto de conſuet. cap. presbyteris cum ſeqq. de conſecr. diſt. 4.

p Borgaſ. auctores citans; vbi ſup. num. 40. Couarr. l. 1. variar. reſolut. caſu 10.

q c. aqua benedicta de conſecr. eccleſ. vel alt.

r c. frater, 16. q. 1.

ſ Cap. ideo permittente §. ſi ergo, 25. q. 1.

t Extrauag. cum deteſtabile de ſimonia & c. per tuas de ſimonia.

u Tot. tit. de corpor. vitiat.

x Cap. fin. de apoſtat.

y c. miror. c. ſi quis viduam diſt. 50.

z Cap. non debet de conſang. & affin.

a c. litteras de reſtitut. ſpoliat.

b Gloſſ. in c. ex publico de conuerſ. couiug.

c c. nuper in fi. de big.

d c. officij de elect.

manæ

manæ commutare, & ſolus cauſam, appellatione, ac etiam recuſatione remotis, delegare: [e] & laico facultatem facere ad excommunicandum, [f] & vt ſimul cum clericis in collegiata Eccleſia eligere poſſit, [g] & vt de cauſis ſpiritualibus cognoſcat, (quod etiam Epiſcopis licere alij dixerunt. [h]) Legata etiam ad pias cauſas quæ exequi poſſunt, nemo niſi ipſe in alium vſum trãsferre valet [i] ſi vero executionem ſortiri nequeant, fas erit Epiſcopo, illa alteri loco applicare. [k].

Sed quid immoramur diuerſos coacerbando caſus vt Pontificis maximi poteſtas pateſiat cum in omnibus exuberet nulloq; coarctetur limite, excepto diuino iure, & cum prædicta pro tyronum inſtructione ſufficiãt. Qui vero diffuſiora deſiderabũt Guilielmum Durandũ cõſulere poterũt [l] plurimos caſus ſoli Põtifici Maximo reſeruatos, enumerantẽ: pluresq; alios in voluminibus Canonici iuris & in Bulla Cænæ Domini contentos, recenſent Sylueſter, Nauarr. Borgaſ. Cardinalis Caietanus, Thomas Campegius, Archiepiſcopus Florẽtinus, Auguſtinus de Ancona, Albanus, Turrecremata, Cataldinus Boncompagnus, & alij moderni doctiſſimi; mira de auctoritate Papæ, & Eccleſiæ tractantes: [m] & ſic prolixum eſſet ea omnia huc transferre; cum ibi

præ-

e c. 1. de appel. Feli. c. cũ inter col. 4. de excomm.

f Borgaſ. vbi ſupra.

g Gloſſ. & DD. in c. nobis de iure patron.

h Butrius c. decernimus de iudic. dict. Borg. de irreg. p. 1. num. 30.

i Clem. quia contingit in princ. vbi gloſ. Card & Immo. de relig. dom.

k Cardin. Immol. dict. Clem. Fel. in c. cum acceſſiſſent, col. 9. de cõſt.

l Speculat. de teſte. §. reſtat de numero, & de diſpenſat. §. nunc breuiter, & in tit. de legato, §. nunc oſtendendum.

m Caiet. tom. 1. de auct. & inſtit. ſummi Pontif. Tho. Campeg. in opere eiuſdem argum. Archi. Flor. p. 3. tit. 22. cap. 1. & ſeqq. Aug. de Ancona, de poteſt. Papæ. Alban.

de poteſt.Papæ.Turrecr. in c.nullus,9. diſt. & in c.huic ſedi, diſt.17. Cataldinus Boncompagn. in tr.de poteſt.Papæ.

præclara eruditione digeſta inueniãtur. Solum tamen vt pauperibus;qui ingentia auctorum volumina emere non valent ; & curioſis , qui omnia breui methodo percipienda curant,pro parte ſatisfaciam : nonnulla carmina ab aliquibus auctoribus frequentata , ad cognitionem Pontificiæ poteſtatis,lucem non modicam afferentia; quæ perfacilè memoriæ mandari poterunt,adiungere viſum fuit [n] videlicet . †

10 n Ioann. a Turrecrem. in dict.c.huic ſedi,d.17. hos ponit verſus, à quo ipſos accepit , & refert M.Antonius Cucchus in lib.2. ſuarum Pandect. ſeu Inſtit. maior.tit.2.

Si ſit Catholicus, Papam nõ iudicat vllus.
Erigit,et ſubdit cathedras,et diuidit,vnit,
Mutat vota Crucis , reſtaurat, & eximit adſe,
Maiores cauſæ referuntur,legitimatque.
Promouet,appellare vetat,probibet profiteri,
Deponit,trãsfert,ſuppletque, renũtiat illi,
Præſul,& exemptus,Simon, Iurans,anathema,
Vel proprium,vel legati,vel lex vtriuſque.
Nequaquam participans,& ſi quem ſponte ſalutat,
Quẽ Canõ dãnat,ſibi vel quãdo reſeruat,
Soluitur à Papa,nec nõ quẽ regula dãnat.
Addas ſuſpẽſum , caſũ cum fertur ad ipsũ
Reſcriptũ fidei dubiũ,confert bona plura,
Irritat infectum,legem condit generalem,
Approbat, Imperium firmat , deponit , & vngit ,
Concilũ generale facit, ſancit quoq; sãctos

Ens

Ens nō eſſe facit,nō ens fore, pallia ſemper
Portat, concedit, legi nec ſubditur vlli
Appellatur ad hunc modo ſine, iudiciumq;
Eſt pro lege ſuum, monachum reuocat renuentem.
Maius adulterio ſoluit, generaliter arctat
Et laxat quicquid ſponſis nocet, ordinat extra
Tempora, dando ſacrum, promotum promouet idem,
Ordinat atque diem, quo conſecratur, & ipſe.
Libenterq; locum concedit, iure priuatq;
Inſignit,laico ſacrū dat, chriſma miniſtro
Sūma ſede ſedet, plenuſq; Vicarius extat.

Alij pauciores ac vetuſtiores verſus non contemnendi, inueniuntur, [o] à quibus tanquam à fonte omnes caſus effluere videntur: ſic ſe habentes.

Reſtituit Papa ſolus,deponit, & ipſe
Articulos ſoluit,Synodum facit generalem
Trāsfert,& mutat, appellat nullus ab illo.
Diuidit,ac vnit,eximit atque probat.

o In c. quod ad tranſlationem, de off. legat.

De Conciljs.

SECTIO XIV.

SVMMARIVM.

1 *Concilij Etymologia, diffinitio, & diuiſio.*
2 *Qui teneantur Conciljs intereſſe, & pœna renuentium, cum citati fuerint.*

3 Prælati, Epiſcopis inferiores, & Principes ſeculares, cur ad Concilium vocantur.
4 Solus Papa Concilium Æcumenicum conuocat: & quando cætus Cardinalium Concilium conuocare poterit.
5 Cauſa cogendorum Conciliorum generalium: Quo tempore cæperint Concilia; & de aliquibus habitis feruente fidei perſecutione.
6 De Concilio Niceno, & damnatione Arrij.
7 Pontif. Max. ſine Concilio, aut alicuius Conſilio, valet omnia diffinire.
8 Concilium, & Eccleſia non poſſunt errare in rebus fidei, & morum, nec Pontifex, vt Chriſti Vicarius iudicando, & diffiniendo.
9 Concilium conuocatum ſine licentia Papæ, Conciliabulum, vel Synagoga Sathanæ dicendum erit. Et Conciliares conſtitutiones, vt vim obtineant, Pontificia indigent confirmatione.
10 Pontifex an valeat à ſe poteſtatem abdicare; & cur perſonaliter non interſit aliquando Concilijs.
11 De quatuor præcipuis Concilijs, & de Conſtantinopolitano.
12 De Epheſino, & Calcedonenſe.
13 De Tridentino, & eius confirmatione.
14 Quot Patres, ac Oratores Regum, & Rerumpublicarum interfuerunt Concilio.
15 Mira Dei benignitas in fidei exaltatione.
16 Qualiter Abd Iſu, Aſſyriorum Orientalium Patriarcha, præſtitit Rom. Pontifici obedientiã; nonnullaq; admiranda retulit.
17 Petijt Concilij Tridentini Decreta, ea omnia ſeruaturum promittendo.
18 Pia circa hoc ponderatio.
19 In derogatione canonum Concilij, quid requiratur
20 Quid ſit Concilium Prouinciale, & de primo poſt Apoſtolos habito.
21 Qui teneantur huic Concilio intereſſe; & ad quos eum conuocare ſpectat.
22 Cauſa finalis Concilij Prouincialis, & quando ab

eo poſſit corripi, & cogi Metropolitanus.
23 *Quæ poſſit, & nequeat, in genere referuntur.*
24 *Quid ſit Concilium Epiſcopale, & quos obliget.*
25 *Qui ei intereſſe teneantur: quæ ſit cauſa finalis eius, & quando celebrari debeat.*

CONCILIVM, † (ſiue à *Conciendo*, *vel Conuocando* dicatur, [a] quia olim conuocabatur populus à Tribuno Pleb. in foro ad Concionem [b]; ſiue à *populi conſenſu*, [c] quia ex more Romano tempore quo agebantur cauſæ, conueniebant omnes in vnum, & communi intentione tractabant,) *eſt generalis Patrum congregatio; ad tractandas, excutiendaſq; cauſas arduas, vniuerſam Chriſtianitatem concernentes.* 1

a Lexicographi. verb Concilium.
b Gell. lib. 15. c. 27. & e Cicer. in Vatiniana con ſtare.
c Iſid. lib. 6. etymol. c. 1[illegible] & habetur c. 1. & 2. diſtinct. 15.
* Concilij diffinitio.

Generalis.

Vt omnia amplectamur Concilia; quæ triplicia ſunt, nempe Oecumenica, [d] vel Vniuerſalia; Prouincialia, & Epiſcopalia [e] (religioſorum Concilio excluſo, quod proprius Capitulum [f] nuncupatur) quibus intereſſe † tenentur, ſi Oecumenica ſunt, in genere omnes orbis Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates, qui vocati fuerint, ſi Prouincialia, [g] omnes prouinciales Epiſcopi, & Cathedralium Eccleſiarum Capitula. Si Epiſcopalia omnes illius Diæceſis Abbates, Vicarij, Rectores ſub pænis à ſacris Canonibus [h] in negligentes conſtitutis.

d Cap. canones, d. 15. c. regula, d. 3.
e d. 18. in princ.
f Cap. in ſingulis de ſtat. monach.
g Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de reform.
h Concil. Carthag. 3. c. 43. Tarrac. c. 6. Aurel. 5. c. 18. & 22. Tolet. 11. c. 15. Chalc. c. 19. Sexta Syn. c. 8. & tota diſt. 18. Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 2. de refor.

Patrum Congregatio.

Quia Patriarchæ, Archiepiſcopi Epiſcopi, Abbates, & Sacerdotes, paſtores ſunt, ac patres noſtri ſpirituales. Sed hic obuiam ſeſe offert inueſtigandum, qui Patres, Concilijs Vniuerſalibus, Prouincialibus etiam, & Epiſcopalibus, intereſſe, tanquam ad hoc deputati teneantur. Cui dubio anſam præbet Iulius Tertius in Bulla reſumptionis Concil. Trid. [i] & Pius IV. in Bulla Celebrat. Concil. [k] per hæc verba. *Quocirca venerabiles Fratres noſtros, omnibus ex locis Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios Abbates, cæteroſque, quibus in Concilio generali ſedere, & ſententiam dicere, iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua conſuetudine licet. Vehementer in Domino hortamur &c.* & Cōcilium Tridentinum [l] inquiens. *Metropolitani, quolibet ſaltem triennio, poſt octauam Paſchæ Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu alio commodiori tempore, pro more Prouinciæ, non prætermittant Synodum in Prouincia ſua cogere, quo Epiſcopi omnes, & alij, qui de iure vel conſuetudine intereſſe debent, conuenire omnino, teneantur.* Et alibi [m] *Præcipit igitur ſancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & omnibus alijs, qui de iure, vel conſuetudine in Concilio Prouinciali intereſſ debent;*

i Dat. Rom. 18. kal. Decemb. anno 1550.
k Dat. Rom. 3. kal. Decemb. anno 1560.
l Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de reform.
m Seſſ. 25. c. 2. de refor.

debent : &c. Quibus verbis Pontifex, & Concilium, videntur ſignificare, aliquos ſpecificè de iure, conſuetudine, & piruilegio debere intereſſe Concilijs Vniuerſalibus, ac etiam Prouincialibus. Sed cum non inueniatur ſpecificè in textu, nec in Gloſſa deciſum, vt Abbas, & Duarenus aiunt [n], dicendum erit, quod in genere omnes Orbis Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui ad hoc vocati fuerint, niſi legitimam habeant excuſationem intereſſe tenebuntur. [o] Cum proprium ipſorum (vt Cucchus [p] ait) hoc munus officiumque ſit; Chriſtianæ Reipub. fluctuanti adeſſe, & conſilium ſuum præſtare, ac pro viribus ſubuenire: cum hoc facere promittant in conſecratione [q]: & qui citati venire contempſerint, vel ſine iuſta excuſatione recuſauerint, ſuſpendi, & ſi id contumacia expoſcat, deponi poterũt [r]. Prælati inferiores † Epiſcopis, vt Abbates, Præpoſiti, & alij non ſunt de neceſſitate vocandi ad vniuerſale Concilium, & multo minus laici: ſed vocari poterunt, qui ad Concilium attinere 3
videantur, [ſ] vt factum fuiſſe ſæpius legitur. [t] Et hi vocantur, & admittuntur, non vt diffiniant, ſed vt aſſideãt, ſuumq; præſtent conſilium; habent enim ſolum votum conſultiuum, non deciſiuum [u], & etiam quia, cum de fide agitur tunc cõ-

n Abb. in c. graue, de præbend. in fi. Duareu. l. 1. c. de ſacr. eccl. miniſt.

o Petrus à Monte in tit. Concilio, qui debeant intereſſe.

p Cucch. Pande&. l. 2. tit. 3. nu. 25.

q c. ego N. de iureiur.

r c. ſi Epiſcopus vbi gl. & DD. d. 18. & per totã diſt. Petr. a Monte tit. de citat. prælat. Card. Aracæl. c. 17. de conc. œcum. Catald. Boncomp. de poteſt. Pap. n. 66. & 67.

ſ c. Epiſcopus nõ debet. c. non oportet, d. 18. Ioa. Andr. & Innoc. in c. graue de præb. Catald. vbi ſup. n 64. & 65.

t c. In nomine Domini, d. 23. c. Hadrian. d. 63.

u Ex Abb. in c. ſi. de his quæ fi. à præl. ſine conſenſ. capit.

mune negocium eſt Eccleſiæ, quæ non minus laicis, quam clericis conſtat, quia fidei negocium omnes tangit. Proindeq; vocantur, & requiruntur ſeculares Principes, vel eorum Legati in Concilio, pariterque, vt ſua auctoritate, Concilij quietem tueantur, ac ſi oportuerit turbatores armis longè ſumoueant. Princeps vero qui ad hoc vocatus, intereſſe per ſe aut ſuum Legatum recuſauerit, vel neglexerit, veluti hæreticorum fautor in ſuſpicionem incidet [x]. Qua ſolum ratione, Principum ſecularium Legati deſiderantur, non vero vt eorum conſenſus in celebrando Concilio interueniat: neutiquam quidem Imperatoris, aut alterius ſecularis Principis requiritur: liberè enim concilia celebrāda ſunt: & id liberè fieri poſſe dicitur, in quo alterius cōſenſus non exigitur [y]. Vnde ſcriptum non extat, quod Conſtātinus, alijvè Imperatores, Conciliorum actibus ſubſcriptionem appoſuerint [z]. Ita quidem † conueniunt patres in vnū
4 in Concilijs Vniuerſalibus, vt à Pontifice Maximo duntaxat conuocentur, & ſolius eius auctoritate congregentur, aliàs conciliabulum potius, aut Synagoga Sathanæ [a] appellabitur. Semper enim hæc Iuris poteſtas ad congregāda Concilia, fuit penes ſedem Apoſtolicam; licèt aliquando pro temporum

diuer-

x Turrecrem. in ſumm. de eccleſ. poteſt. lib. 3. c. 21. Card. Aræcel. vb. ſup. c. 18.

y Cap. cum ceſſante vb. Abb. de appellat. & in c. de multa de præb. & in c. fi. de poſtul. prælat. not. in c. licet Epiſc. de præb. in 6. & in Clem. dudum de ſepult.

z Recē ſet Card. Arçe. de Accumen. conc. c. 13.

a Diſt. 17. per totū. S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 10.

diuerſitate infideliumq; perſecutione impedita fuerit, & de facto alij Concilium congregauerint. [b] Si vero Pontifex in hæreſim lapſus eſſet (quod Deus non permittat) à S.R.E. Cardinalibus, poſſet œcumenicum Concilium conuocari; cum idcirco haberi neceſſe eſſet, vt de Pontificis hæreſi ageretur: vel ſi demens aut inſanus factus eſſet Pontifex, aut è vita migraſſet; & tūc hęreſis vel ſchiſma immineret cuius remedium nullam pateretur moram. [c] Sed qui modus in hac conuocatione habendus eſſet; & an negligentibus Cardinalibus congregare Concilium, vrgente neceſſitate poſſit illud Imperator cum alijs Catholicis Principibus, Eccleſiæ Prælatis, & Clero Romano ritè congregare, videātur Doctores, ad marginem citati. [d] Sed notandū quod tantum de ipſiſmet caſibus, quibus ſine Pontificis auctoritate, prædictis ſuppoſitis, Concilium congregari permittitur; agendum diffiniendumq; erit, quia cætera irrita erunt. [e]

Ad tractandas excutiendaſq; cauſas arduas; vniuerſam Chriſtianitatem concernentes.

5

Hic † continentur duæ cogendorum generalium Conciliorum cauſæ, quarum vna eſt, *ad impediendas vel euellendas hæreſes, fideiq; excutiendos articulos*; Altera *ad ſedanda & remouenda*

b Dicta d. 17. in princ

c Gl. in c. ſi duo d. 7[…] Beroi. c. 1. de iud. nu[…] 130. Albanus de pote[…] Pap. par. 2. nu. 162.

d DD. in c. nunc autē […] 21. Decius conſil. 14[…] nu. 13. Barba. in c. oli[…] & c. paſtoralis & reſc[…] Iaſ. conſil. 95. Fely. in […] quærelam & c. fi. de i[…] reiur Beroi. in c. 1. nu[…] 30. de iudic. Conrad. […] temp. iud. lib. 1. tit. de […] teſt. Imper. c. 1. §. 4. ve[…] 14. Albanus de poteſt[…] Pap. 1. p. n. 114. Bellar[…] & Card. Alex. in d. c. A[…] naſtaſ. d. 19. Card. Ar[…] cæli, de conſil. Oecur[…] Cucchus eod. tit. lib. […]

e Dec. in c. Oſius de elect.

ſcandala quæ in Eccleſia orta eſſent, oriri ve poſſent. [f] Sumpſereq; initium Cōcilia ab ipſo Petro Apoſtolorum Principe, ſub quo fuit primum Hieroſolimis anno Domini 70. celebratū, indeq; *Apoſtolorum* dictum. Et quamuis feruente tunc perſecutione aduerſus Chriſticolas, nō permitteretur eis vt plebem docerent, nec vnà Reipublicę, & fidei cauſa congregarentur; multi ſancti Patres in Palæſtina, ſpretis tyrannorum cruciatibus, ac minis, augendæ religionis ardore, temporibus Victoris Papæ, & Helij pertinacis Imperatoris, qui Orthodoxam fidem, odio habuit; nec non alij [g] ſexaginta patres, (Fabiano Apoſtolicam ſedem regēte, Gordianoq; Imperante; mala plurima Catholicis inferente,) In ipſa Vrbe, pro ſarciendis de Sacramentis Legibus, Concilium habere non dubitarunt. Rurſusq; ſub Diocletiano qui de perdendis vniuerſis Chriſtum colentibus legem tulerat, in Sinueſſa vrbe octuaginta Præſules aliud habuere: quo editæ fuere leges de non abnegando Chriſto D. N. ob cruciatuum, neciſq; formidinem; ac de non abrogando Marcellino Pontifice & Martyre, licèt ille cruciatibus coactus thura Idolis immiſerit.

6 Poſtea † diuina fauente clementia, Catholica inſurrexere tempora; quibus extincta perſecutione, Conſtātinus Ma-

f c. Anaſt. vbi gl. d. 19. Be roi. in rubr. de Cōſt. nu. 44. & 69. Trid. ſeſ. 1.

g Euſeb. lib. 1. de Eccl. hiſt. Plat. in vita Victoris Papæ.

gnus ad fidem conuerſus [h], libertatem, publice docendarum plebium, celebrandorumq; Conciliorum, Chriſtianis præſtitit, Petri Cathedram Syluestro ſanctiſſimo viro, eo tempore moderante; quo celebratum fuit illud memorabile Concilium Nicænum [i] anno Chriſti D. N. 325. viginti canonibus ſcriptum. In quo fuit damnata blaſphemia Arrij præsbyteri Alexandrini; tres inæquales in Trinitate gradus: Patremq; maiorem filio; filiumq; Spiritu ſancto: & Spiritum ſanctum creaturam eſſe, ſacrilegè aſſerentis [k]. Tercentorum & decem & octo Patrum fuit hoc Concilium, & non obſtat, quòd aliqui tercentos tantum numerent, quia minor [l] numerus non excludit maiorem. Ex eo † dehinc tempore ſi quid arduum, incertum, atque difficile Chriſtianam Rempublicam, vel Eccleſiam vrgere videbatur, quamuis Pontifex Maximus negocia fidei, ac cætera omnia ſine Cōcilij vocatione, ſi voluerat, expedire valebat [m], tamen vt conſultius & forte Chriſtiano Orbi ſalubrius, decidi ac terminari poſſet, ex ſeniorum, atque prudentiorum conſilio tractari ſolebat, & per eorum iudicium imminenti periculo prouideri: quod ſemper obſeruatum eſt, quum articula diffinienda, maximæ ſunt ambiguitatis [n], quod

h Not. in c. Conſtant. & alijs ſeq. 96. d. Plat. & alij Hiſtoriogr. in vita Sylueſtri.

i De quo in c. Sancta Romana. d. 15. c. prima autē. d. 16. & in hiſt. Eccleſiaſt. Ruffini lib. 10. c. 1. & habetur in tom. 1. Concil.

k Vt in c. Canones. §. harum d. 15. & 24. q. 3. c. quidam, verſ. Arriani.

l l. cum furti. ff. de in lit. iurand.

7

m Alban. in tract. Car. q. 39. & de poteſt. Papæ p. 2. nu. 45.

n Card. Turrec. in cap Anaſt. diſt. 19.

enim à pluribus quæritur ſapientibus, facilius inuenitur [o], & per ampliores homines perfectiſſima veritas reuelatur [p]. Quibus additur † nullo modo Concilium ritè, & legitimè celebratum
8 errare poſſe in rebus ſpectantibus ad fidem & mores, ſicut nec Eccleſia, communis eſt Canoniſtarum doctrina, ac etiam Sancti Thomæ [q], dicentis, quòd Eccleſia, cuius doctrina eſt in Concilijs, eſt nobis infallibilis regula. Sed in his quæ facti ſunt, non verò Iuris, Concilium decipi poſſe, non eſt inconueniens aſſerere, cùm Calcedonenſe Concilium (ex quatuor præcipuis vnum) non rectè pronuntiauerit in præferendo Patriarchã Alexandrinũ, Conſtantinopolitano [r]. quod non approbauit S. Leo Summus Pontifex, cuius auctoritate illud Concilium fuerat initum. Ita etiam Pontifex, vt priuata perſona quãdoque decipi poteſt [ſ]. Non verò vt Chriſti D. N. Vicarius in fide iudicando & diffiniendo; tunc enim neutiquam labi, nec errare poteſt, quia non deeſt ei Spiritus ſanctus, cuius ope & auxilio
9 afflatus, regitur. Vnde † cum Concilium conuocari nec congregari poſſit, niſi de eius licentia (aliàs Conciliabulum vel Synagoga Sathanæ dicendum eſſet [t]) poſtquam ſua interueniente auctoritate celebratum fuerit, licèt Conci-

o c de quib. 20. diſt.

p c. extra conſcient. d. 64. & leg. vlt. ad fin. C. de fideicom.

q S. Th. Quodl. 9. ar. 16. & in 2. 2. q. 5. art. 4. Vide Caiet. 2. 2. q. 1. art. 1. ad 3. dub.

r c. ſacroſ. in fi. c. Conſtãtinop. c. reuocãtes d. 22. c. antiqua de priuil.

ſ Caiet. in S. Tho. 2. 2 q. 1. ar. 5.

t Diſt. 17. per totum S. Th. 2. 2. q. 1. ar. 10. Alfon. de Caſtro lib. 1. de iuſta hæret. punit.

lij Patres in vnam eandemq; conueniãt ſententiam, neceſſe eſt quod omnes Cõciliares Canones, & cõſtitutiones à Pontifice Maximo confirmentur, vt robur auctoritatẽq; habere poſsint; quod ſemper factum fuiſſe conſtat [u]. Ex quibus apertè colligitur, diffinitioni ipſius ſtandum eſſe, quandoquidem ſua ſpectatur confirmatio: ſine qua omnia robore carebunt. Nec † concedendum eſt, Pontificem vbi Conciliũ vocauit, ab illa ſua poteſtate receſsiſſe; eamq; totaliter in Concilium vt aliqui dicunt [x] tranſtuliſſe, quia Pontifex non potuit hanc à ſe poteſtatem abdicare; nec maieſtati dignitatis ſuæ, quæ ab ipſo Deo [y] eſt, aliquid detrahere: & ſic Concilij interpretatio ac confirmatio ad ipſum attinet, quia hi demum interpretari Canones poſſunt, qui condendi auctoritatem habent. [z] Concilijq; geſta tribuuntur Papæ qui illud congregauit. [a]

10

His iungitur Cardinalis Hieronymi Albani in tractatu de Concilio ſeu de poteſtate Papæ, abſoluta ſententia dicentis, in quæſtione fidei ambigua; ſtandum eſſe diffinitioni Pontificis, Potius quam Concilij, quòd diſſertiſſimè & fortiſſimè defendit, quem approbat, & ſequitur Antonius Cucchus. [b] Venit conſequenter notandum, quòd tribus de cauſis Romanus Pontifex Concilio per-

11

u Colligitur ex c. hæc eſt fides 24. q. 1. & ex Trident. in fi.

x Card. Arac. c. 3. de Concil. Oecum. Turrc. in ſumm. Eccl. c. 74. gl. in c. Anaſtaſius d. 19.

y cap. 1. diſt. 22.

z c. ſicut enim. §. ex his 11. q. 1. c. vbi periculum de elect. in 6. Io. And. in c. ſignificaſti de ele. & Bull. Pij IIII. ſuper Confir. Concil. Trid.

a DD. in rubr. de Conſtit. vb. Beroi. nu. 26. & in cap. 1. eod. tit. Abb. & Dec. in c. Oſius de elec.

b Card. Alb. de poteſt. Papæ Cucc. lib. 2. pandect. tit. 3. de Conc. Oecumen. à num. 55.

ſonaliter interuenire non tenetur.

Prima, vt ipſe cuius eſt Conciliorum acta confirmare; plena in confirmatione gaudere poſſit libertate. In ſuoq; throno confidẽs, omni ſepoſito metu ac turbatione per impreſſionẽ aliquid cõfirmare nequeat. Sed matura adhibita deliberatione quæ digna confirmatione iudicarit, confirmare, quæ contra, reijcere & antiquare valeat. [c] Secunda, ne poſſet ei vis forſam inferri ab aliquibus tyrannis, ſi Cõcilium in aliqua vrbe à Romana longè diſtante indictum eſſet. Tertia etiam ob imminentes, quotidieq; Catholicæ Eccleſiæ, ac Romanæ Vrbi occurrentes neceſſitates, quæ plurima & ferè infinita ſunt ipſiſq; attendere neceſſe eſt: quod nequiret, ſi Concilio (præcipuè longè ab Vrbe diſtante) intereſſet, & ſic ad ipſum conſtituere ſolet legatos, ſpecialiter deſtinatos: [d] quia generalis Legatus non poſſet Cõcilium Oecumenicum inire, aut celebrare: nam hæc ad Romanum Pontificem ſpecialiter attinent, & mandata generali iuriſdictione, non transferuntur [e].

c Prædicti Card. Arac. Tutrec. & Alb. in locis ſupra cit. & Cucchus vbi ſupra.

d Ex Conc. Trid. conſt.

e c. niſi. c. quod tranſlationem de off. legati & nota in cap. regula §. porro diſt. 3.

A temporibus † Conſtantini Magni hucusque, plurima celebrata ſunt Con-
11 cilia de quibus in thomo magno Conciliorum, & in libello de ſumma Conciliorum diffusè agitur. Sed inter cætera quatuor præſertim fuere ſemper maxi-

ma

ma veneratione habita; quæ quaſi quatuor Euangelia, totã principaliter Chriſtianam fidem [f] complectũtur, & eorum ſtatuta omnibus modis ſequi, ac venerari neceſſe eſt. Interdum quatuor dicta, interdũ octo, quatuor, quia in quatuor locis conuenere, octo quia octo vicibus celebrata ſunt. [g] *Nicænum ſcilicet, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calcedonenſe. In quibus*, vt Lancellottus ait: [h] *velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit.* Sed nunc Sacroſanctum illud Tridentinum habemus, quò nullũ ſalubrius nec perfectius, humano Orbi eſſe potuit, ad hæreſum extirpationem morum correctionem Sacramẽtorumq; veram cognitionem, & adminiſtrationẽ, de quo paulò inferius dicemus.

De Cõcilio Nicæno proximè egimus, licet enim alia duo in eadem Nicæna, Bithiniæ vrbe, celebrata fuerint, & nonnulli etiam inter principalia concilia, ſecundum Nicænum deputandum volunt; [i] communiter tamen ab ſcriptoribus ſolùm illud Nicænum primum, tempore Syluestri Pontificis, & Conſtantini Imperatoris habitum, inter quatuor præcipua numeratur.

Conſtantinopolitanum.

Intelligendo primum (quia plura Conſtantinopoli fuere celebrata Concilia,) inter quatuor præcipua, locum obtinet.

f c. Canones. c. ſicut Sãcti. 15. diſt.

g c. Sancta octo 16. d.

h Lancel. lib. 1. Inſtit. Pont. tit. 3.

i Vt per Cardin. Aræcęl. in tract. de concil. œcum. c. 7. & c. ſancta octo. diſt. 16.

tinet. In quo centum quinquaginta patres interfuerunt, anno Domini 381. ſub Damaſo Pontifice Maximo, Imperantibus Gratiano, & Theodoſio Seniore [k]. Damnataq; fuit hæreſis Macedonij, Cõſtantinopolitani Epiſcopi, negantis Spiritum ſanctum Deum eſſe [l].

k Hiſtor.Eccleſ.lib.11. c.10.

l 24.q.vlt. c. quidam verſ.Macedoniani cap. canones. §. ſecunda.d. 15.c.eos qui.1.q.1.

Cum etiam † apud Epheſios plura celebrata fuerint Concilia, [m] primum
12 eorum tantum inter præcipua enumeratur, quod fuit ducentorum Epiſcoporum, celebratum ſub Celeſtino I. Pontifice Maximo; Imperante Theodoſio iuniore anno Domini 424. Et tunc fuit damnatus Neſtorius [n] Epiſcopus Conſtantinopolitanus, duas perſonas diuinam ſcilicet, & humanam in Chriſto aſſerens: [o] Mariamq; Virginem, non Dei, ſed hominis tantummodo matrem fuiſſe.

† De Cõcilio Epheſino.
m Et quædam reprobata vt 16.diſt.c.quoniã.

n De quo vide in tom. 1.Concil.

o Cap. canones §. tertia.diſt.15.

Calcedonenſe Concilium à ſexcentis, & triginta patribus actum, ſedem Petri regente Leone. I. Imperanteq; Martiano. Damnatiq; fuere Euthices, & Dioſcoris circa Chriſti naturam, pernicioſe aſſerentes, [p] ac decem & ſeptem editæ conſtitutiones ſalutares, pro religione augenda, rectaq; Chriſtianæ vitæ inſtitutione.

p Cap. canones. §. quarta.diſt. 15.

Cætera Concilia, quæ ante & poſt hæc celebrata fuere, Spiritus ſancti ductu, proximum ab iſtis ſibi locum vendi-

cant.

cant. [q] Quorum nomina, tempora & legum capita, cum plurima fuerint, hoc in loco referre nimis longum foret, cum quotidie in Conciliorum tomis, alijsq; hiſtoriarũ libris præ manibus habeãtur.

Demum † cum labentibus annis, hæreſis peſtis, Chriſtianos inficere non deſtiterit; ſed denuò inſurgens, in publicum prodire, & indies magis atque magis augeri videretur, Martino Luthero auctore, viro callido & arguto: quo circa vniuerſalis Eccleſia, varijs ſchiſmatis, diſſidijs, & hæreſibus vexata, & oppreſſa eſſet; Paulus III. Pontifex Max. cupiens mederi Chriſtianę Reipublicę malis, hęreſes extirpare, ſchiſmata tollere, pacem inter Chriſtianos principes conciliare, & omnium fideliũ mores correctione indigentes emendare, Oecumenicum generale Concilium (ad hæc ſananda mala aptiſſimum remedium) congregare & celebrare decreuit anno Domini 1545. die 13. Menſ. Decemb. Et cum id primo in Vrbem Mantuam; deinde Vincentiam indixiſſet. Quaſdam ob cauſas in eius literis [r] expreſſas, id primo ſuſpendit. Poſtea Tridentum tranſtulit. Deinde cum quibuſdam de cauſis, ibi quoque eius celebrandi tempus dilatum fuiſſet, tandem ſuſpenſione ſublata, in eadem ciuitate Tridentina, in finibus Venetiæ

q Cap. canones. §. hæ ſunt. diſt. 15.

† De Concil. Tridentin. 13

r Datis Rom. 11. Kal. Iun. ann. 1542. ſui pontificatus. 8.

prouinciæ, Inchoatum fuit. [s] Verum Seſſionibus aliquot habitis, & nonnullis decretis factis, ipſum ſe poſtea Concilium aliquibus de cauſis, accedente etiã ſedis Apoſtolicæ auctoritate [t], Bononiã tranſtulit. [u] Iulius autem III. legum peritiſſimus, qui Paulo III. ſucceſſit, in eãdem ciuitatem Tridentinam, Concilium reuocauit. [x] Quo tempore vocatis hæreſiarchis, datiſq; omnibus proteſtantibus ampliſſimis ſaluis conductibus, [y] tandem eorum propoſita contumacia, ſuiſq; fallacijs ſolutis, quædam ſacra dogmata & conſtitutiones, conſcriptæ [z] atque probatæ fuere.

Sed cum noui in propinquis Germaniæ locis, tumultus excitati fuiſſent, & bellum in Italia, & Gallia grauiſſimum exarſiſſet, rurſus Concilium per decem annorum ſpacium, ſuſpenſum, & dilatum eſſe oportuit. [a] Deniq; anno 1562. Pio IV. locum Dei tenente, proſequutum, & ſequenti anno finitum fuit, & confirmatum [b] ad omnipotẽtis Dei gloriam & vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem.

14 In quo † conuenere quinque primùm Cardinales Præſidentes, & Legati Concilij; pro felicis recordationis Pio IV. Pontifice Max. & duo ſimiliter Cardinales, non Legati Lothoringus, & Madrutius. Sed è numero Cardinalium Præſidentium, & Legatorum duo Tri-

s Videlicet primæ octo-ſeſſiones.

t Conſtat ex Bul. facultatis transfferendi Concil. Dat. Rom. Kal. mart anno. 1547.

u Vt videre eſt in Triden. ſeſſ. 8. 9. & 10.

x Ex Bul. reſcript. Concil. Dat. Romæ. 18. Kal. Decemb. ann. 1550. pontificatus ſui. 1.

y Vt ex varijs concilij locis conſtat.

z Scilicet ſeſſ. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.

a Cõſtat ex Bul. celebr. concil. ſub Pio 4. Dat. Rom. 3. Kal. Decemar. ann. 1560. Pontificatus ſui. 1. relata initio. ſeſſ. 17.

b Anno 1564. die 26. Ianuar. Pontificatus Pij 4. anno 5.

denti mortui ſunt, [c] & eorum loco alij duo miſſi. [d]

Patriarchæ tres, videlicet Hieroſolymitanus, Aquilegienſis, & Venetiarum.

Archiepiſcopi XXXIII.
Epiſcopi CC. XXXVII.
Abbates VIII.
Generales ordinum VIII.
Doctores legum IIII.
Theologi ſeculares, & Regulares, C. XL. VI.

Item Oratores [e] Ferdinandi, infantis Hiſpaniarum, Imperatoriſq; Romanorum; Philippi II. Regis Hiſpaniarum, & Indiarum; Sebaſtiani Regis Portugalliæ; Caroli Regis Galliæ; Sigiſmundi Auguſti Regis Poloniæ; Emmanuelis Philiberti Ducis Subaudiæ; Alberti Ducis Bauariæ, & Coſmi Ducis Florentiæ. Ac etiam Oratores Hungariȩ, Boemiæ, Venetorum, Septem Cantorum Heluetiorum Catholicorum, & aliorum principum Eccleſiaſticorum. Et, † quamuis hæreticorum ſophiſmata [f], atq; fallaciæ diluta, clariſq; etiam catholicorum rationibus, & argumentis conuicti, exitioſa illa animarū peſtis, quæ quotidie ſerpebat latius, magna iam ex parte compreſa fuerit, prorſus haud tolli potuit, nam adhuc alij quamplurimi ſuum ſectantes errorem, à dæmonum dolis detenti, non reſipiſcunt, ni miſericors ipſe 15

Deus

c Card. Hercules Gonzaga Mantuanus, & Hieronym. Seripandus Neapolit.
d Card. Ioan. Moronus Mediolan. & Bernard⁹ Nauagerius Venetus.

e Oratores qui Concilio interfuerunt.

f Hæretici licet claris rationibus conuicti non reſipiſcunt.

Deus tantis malis & erumnis aliquando medeatur & conſulat. Cuius mira benignitas ſummaq; prouidentia, orthodoxorum incolumitati, Catholicæq; fidei incremento, & exaltationi, proſpicere nõ prætermittens [g]: dum ex improbata hæreſi palmites in Germaniæ Septentrionalibuſq; infectis populis exſurgere, & excreſcere nõ deſtitere, ab ignotis Orientalibus populis, ad Eccleſiæ Catholicæ Romanæ gremiũ, plurimos traducere dignata eſt. Quorum nomine Abd Iſu Aſsyriorum Orientalium à clero ſuo Patriarcha electus [h], & eorum populorum conſenſu, qui finitima Tigri fluuio loca incolunt, (Turcarum & Perſarũ Imperio ſubiecti) vt viſitaret Apoſtolorum limina, & Pontificis Maximi pedibus oſculum ferret; Optimamq; erga hanc ſedem voluntatem illorum & ſuam oſtenderet, & vt confirmaretur à Pontif. Maximo, ad Vrbem ſe contulit, cum literis, ac teſtibus fidedignis [i]. Et cum ex celeberrima ortus eſſet familia, opibuſq; etiam pro loci ratione abundans, iam ſexagenarius, & in itinere ſemel à Cordis populis, bis à Turcis male acceptus, ac fuſtibus percuſſus fuiſſet; nec ob aliam cauſam, tam longum tãq; difficile, ac periculoſũ iter ſuſcepiſſet: & literis ac teſtibus fidedignis, eius electio cognita eſſet, eximiaq; huius viri

g *Pro populo fiat Deus ipſe ſuo* ex Sannaz. in libr. 1. eleg. in maled. detract.

h Noua incognitorum Chriſtianorum notio.

i Vt conſtat ex litteris Marci Antonij Cardin. Amulij ad legatos Sacri Concilij Tridentini ſuper profeſſione fidei Patriarchæ Aſſyriorum orientalium. relatis in libello nuncupato. *Orationes, reſponſa, litteræ ac mandata ad ſacrum Concilium Tridentinum*

in Deum pietas, optimusq; de vera fide ſenſus perſpiceretur, à Pontifice Pio IV. (cum prius † profeſsionem fidei feciſſet, & ſe nunquam à ſanctiſsimæ Sedis Apoſtolicæ decretis diſſenſurū, nec diſceſſurum ſolemniter iureiurando pollicitus eſſet [k]) frequenti Conſiſtorio Patriarcha, & paſtor illorum populorum declaratus eſt. Quarum rerum memoria, literis diligenter conſignata, in archiuio cuſtoditur. Hic ſæpè de ſacris literis interrogatus, grauiter admodum, & copioſè reſpondit; magna omniū admiratione, qui ſententiā eius verborum ab interprete audiebāt. Nominabat; eosq; ſe habere dixit, libros omnes Veteris, & Noui Teſtamenti; etiam quos Hebræi, aut hæretici non probant: antiquos Doctores Græcos & Latinos (eoſdē ferè quibus non vtimur) Chaldaicè, Syriacè, aut Arabicè verſos, diligenter legiſſe; nonnullos etiam, quorum nomina à nobis ignorantur. Addebat, in Caraemiet Turcorum ciuitate, libros eſſe ab ipſa ferè Apoſtolorū ætate conſcriptos, qui nunc in quadam Bibliotheca cuſtodiuntur. Sacramētis aiebat [l] vti ſe, ac populos illos, ijſdem ferè, quibus nos: Confeſsione auriculari: præcatione pro ſalute mortuorum, Canone ijſdem ferè verbis in celebranda Miſſa: Conſecratione prorſus eadem.

16

k Hæc profeſſio fidei. R. D. Abd Iſu Patriarchæ Aſſyriorum orientalium (ſub Pio Papa 4. coram Illuſtriſſ. Michaele tituli ſanctæ Sabinæ Alexandrino: & Marco Antonio, tituli ſancti Marcelli, Amulio vulgariter nuncupato) facta Romæ die 7. Martij anno 1562. habetur in prædicto libello pag. 129.

l Mira de antiqua & Chriſtiana Aſſyriorum orientalium fide comprobatio.

imagines quoq; ſanctorum pijs præcibus venerari. Fideles huic Patriarchatui ſubiectos eſſe vſq; ad ducentamilia:
17 Tandem † cum per multos non ſolum dies, verumetiam mēſes abſolutam noſtrorum rituum cognitionem (à quibus antea in nonnullis, non quidem grauibus diſſenſerat) à Catholicis & eruditis hominibus accepiſſet, niſi iam ſenio cōfectus, ad ſuos redire, (impetrata primum à Summo Pontifice licentia) properaſſet, vt eos Eccleſiaſtica doctrina plenius inſtrueret, ad Sacrum Conciliū profectus eſſet; vt illic fidem catholicā, ſuumq; erga Sedem Apoſtolicam ſtudium & obediētiam profiteretur. Et ſic cum diſcederet, petijt ſtudioſiſsima fide, vt ſacri Tridentini Concilij Canones, & decreta, cum ſtatuta fuiſſent, ad eum perferenda curarent: ea omnia ſeruaturum promittendo, daturumq; operam, vt omnes ſui ſeruent, & Chirographo ſuo, Caldaica lingua confecto confirmauit: quod fideliter Latinè tranſlatum ſic ſe habet [m].

Ego Abd Iſu, filius Ioannis de domo Martia ex Ciuitate Gerziræ; in Tygri flumine: olim monachus Sancti Antonij monaſterij ſanctorum Rahæ, & Io. fratrum, nunc Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Primas, ſiue Patriarcha ciuitatis Muzzal, in Aſſyria Orientali, ſub cuius iuriſdictione, multi Metropolitæ Epiſcopi, & diœceſani continentur; videlicet Arbel Metropolis; Siraua, Hancaua Epiſco-

m Vt conſtat ex fide publica Romę facta die 23. Iulij anno 1562. præſentibus Card. Amulio alijſque teſtibus, prædicto libello contenta pag. 131.

patus: Cheptiã Metropolis, Carameleys, Achuſch Epiſcopatus: Naſsybin Metropolis, Macchazzin, Talleſcani, Mardin, Epiſcopatus Sceert Metropolis, Azzen Epiſcopatus: Elcheſsẽt Metropolis, Zuch, & Meſciara Epiſcopatus: Gurgel Metropolis: Eſci Epiſcopatus: Amed Metropolis: Chiaruchiæ, Hayn, Tánur, Epiſcopatus. Quæ omnes ſimul regiones ſubſunt Turcarum Imperio. Ormi ſuperior Metropolis, Vſcimi, & Cuchia Epiſcopatus; Ormi inferior Metropolis, Durraſoldos, Eſcinuh Epiſcopatus, Eſpurgan Metropolis, Nare, Giénenc Epiſcopatus: Salamus Metropolis, Baumar, Sciabatha, Vaſthã Epiſcopatus Omnes Perſarũ Regi, vulgo Sophi nuncupato, ſubiecti: In India vero Luſitanis ſubiecta Cuſchin Metropolis, Cananor Metropolis, Goa Metropolis, Galicuth, Epiſcopatus, cui ſubeſt Carongol ciuitas, quę adhuc ab Idolatris, & Aethnicis hominibus poſſidetur. Iuro & polliceor, cum mihi non liceat ad Sanctam Sacram Tridentinam Synodum accedere, ſed neceſſe ſit, vt ad Patriarchatum meum me transferam; qui meo eget auxilio, & ſine cuſtode, me abſente, permanet. Munus enim Eccleſiarum Præſulis eſt, animas ſibi ſubiectas quotidiè in ſancta Chriſtianà fide inſtruere, & moribus vitæque integritate, eas in fide confirmare, ne grex ſibi commiſſus, paſtoris regimine deſtitutus in varios incidat morbos quod eò facilius gregi meo accidere poſſet, qui cùm ſit ſub infidelium tyrannide, adhuc multos in Chriſtiana fide imbecilles tenet, & quotidiè, etiam mea diligentia, Dei gratia cooperante, ampliari poteſt. Cumque difficilè fratres mei Metropolitæ, Epiſcopi, & Diœceſani, qui tam longè abſunt, poſſint in hanc ſacram Tridentinam Synodum conuocari. Ea de re, tam meo, quam eorum nomine, quos omnes ex corde ſanctæ Romanæ Catholicæ Eccleſiæ partes tenere non dubito, inhærendo iuramento fidelitatis, aliàs per me confeſſo, ſiue per me præſtito, Iuro inquàm & polliceor, omnia nos tenere, & credere, quæ in ſanctis Oecumenicis Concilijs hucuſq; ſunt acta: & ſecundum eo-

rum decreta promitto omnes filios noſtros inſtituere,& præcipuè in ijs, quæ in ſancta ſacra Oecumenica Tridentina Synodo terminabuntur De cuius legitimꝰ cõgregatione nihil penitꝰ dubito, ſed ei,& meo, & eorũ nomine, reuerenter,& humiliter me ſubijcio: vocatusq; ad hãc,ſeu ad aliã Sanctã Synodũ,cum dictis fratribus meis, libẽter ſemper accedam,ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.

18 Summã [n] profecto † Dei beneficentiã licet agnoſcere,quod in tam longinquis regionibus , quæ nobis vix famæ notæ ſunt : veræ fidei cultus adhuc vigeat, & Chriſtiana Religio non minore fortaſſe, quam apud nos pietate excolatur, conſeruata Doctrina, quam per ea loca Beatorum Apoſtolorum Thomæ,& Thadæi, pijs ſermonibus diſſeminatam , & Martij eorum diſcipuli prædicationibus confirmatam agnoſcimus . Quo argumento etiam præter ſexcenta alia; inania improborum hæreticorum commenta refelluntur, cum per annos mille quingentos, Eccleſiæ dignitas,ac doctrina ſalutaris,apud gentes à nobis tot terrarum interuallo diſiunctas , in tanta rerum , Regum, & Regnorum mutatione, religionis varietate,ſub infideliũ graui , ac iugi per iniurias & contumelias vexatione, in medio Barbariæ, eadem tamen ad hanc diem permanſerit; quæ nunc à gentibus nobis propinquis oppugnatur . Sed hæc quanti ſint,ingenioſi & pij lectores ponderabunt .

n Deſumpta eſt hæc ſequens pia põderatio ex prædicta Epiſtola Cardin. Amulij relata in citato libello.

Nunc

Nunc notandum reſtat quod generalium Conciliorum Cōſtitutiones † pro- 19
priè Canones nūcupatæ Sic vigent, præcipuamq; auctoritatē habent, quod nunquam derogatæ iudicentur, niſi ſpeciali earum mentione facta [o] Cum enim facilius inueniatur quod à pluribus quæritur, [p] & vniuerſalis ſententia firmiter roboretur, haud dubium eſt generalium Conciliorum Canones ſic maturè emanaſſe, vt ne tam facile, & ſub generali derogatione contineri cenſeantur [q] idcircoq; pro legibus haberi Iuſtinianus iuſſit [r].

De Concilio Prouinciali. 20

PRouinciale † Cōcilium eſt [ſ] *quod inter prouinciales Epiſcopos, & Eccleſiarum Capitula Primate vel Metropolitano conuocante propter Eccleſiaſticas cauſas celebratur*. Primum Prouinciale Conciliū, ex ijs quæ extant poſt Apoſtolos, (nam D. Paulus in Mileto congregatis ſenioribus Prouinciæ Epheſinæ, Concilium celebrauit, à quo Prouincialia originē ducunt [t]) fuit Carthaginenſe primum, circa annum Domini 255. ſub Cypriano Epiſcopo Carthaginenſe, [u] ſedem Petri regēte Cornelio I. Diffinitionē vt nobis moris eſt per particulas exponamus.

Epiſcopos, & Capitula.

Quia omnes illius prouinciæ † Epi- 21

o Not. in c. 1. de Conſtitution.

p Cap. de quibus, 20 diſtinct. c. prudentiam in fi. de offic. deleg. C. de fideicommiſſ l. penult. & C. de ingē. manu. l. 3.

q Cap. 1. de iud. DD. in c. at ſi clerici. §. 1. eod. tit.

r Iuſtiniā. Nouell. 131.

ſ Ex cap. de Concilijs c. propter. & ſeqq. diſt. 18. c. ſicut olim de accuſ. Concil. Aurel. 3. c. 1. Carthag. 3. c. 2. Later. ſub Leon. 10. ſeſſ. 10. Trident. ſeſſ. 24. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 2. de reform.

t Act. Apoſtol. c. 20.

u De quo in actib. Cōcil. Tom. 1. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 2.

ſcopi intereſſe tenentur [x] acetiam capitula,contraria opinione [y] non obſtante (quæ ad aſſidendum,non ad decidendum conuocantur,eorumq; votum,conſultiuum,non deciſiuum erit [z])Abbates quoque, Religioſorumq; Superiores, ad hoc compelli poſſe receptum eſt [a] .

Primate vel Metropolitano conuocante .

Nam ad ipſum ſpectat, vt ex locis ſuperius allegatis & ex Concilio Tridentino conſtat,[b] omnes ſuæ prouinciæ Epiſcopos , & quoſcumq; alios, de iure vel conſuetudine intereſſe obligatos,quolibet ſaltem triẽnio poſt octauam Paſchæ Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti,ſeu alio commodiori tempore,in Synodum conuocare , ac ſi neceſſe fuerit compellere,quòd etiam , legatum Apoſtolicæ ſedis poſſe,cõmuniter tenetur [c] . Non quidem Pontifici Maximo,ſic reſeruatum eſſe conſtat, [d] vt mandata iuriſdictione,transferri nequeat : & ſi poteſt Metropolitanus ; melius poterit Legatus Apoſtolicæ Sedis;cum in prouincia, poteſtatem habeat Metropolitano ſuperiorem [e] .

Propter Eccleſiaſticas cauſas .

22 Hoc eſt † pro moderãdis moribus,corrigendis exceſſibus ; controuerſijs componendis , alijſq; ex ſacris Canonibus permiſſis [f] . Sed non pro quibuſcunque cauſis, nam licet Metropolitanus negli-

gens

x Cap.regula diſt.3. & per tot.diſt.18. Tridẽt. Concil.vb.ſup.

y Not.in c.graue de præbẽ.Duaren. lib.1.c.4. de benef.c.fi.de his quæ fi. à prælat.

z Abb.in c.fi.de hisquæ fi.à præl.ſine conſenſ. capit.

a Duaren. vb. ſup. DD. in c. graue depræbend. & c.ad ſedem 35.q.5.

b Trident.ſeſſ.24.c.2.& ſeſſ.25.c.2.de reform.

c Archid. & Turrecre. i c.regula.§.porrò diſt. 3. Abb.c.quod tranſlationem de off.lega.

d Cap.ſi quis Epiſcopus diſt.92.

e Cap. ſi Abbatem de elect. In 6.

f Cap. de Concilijs. c. propter & ſeq. diſt. 18. c.ſicut olim de accuſat. Tridẽt.ſeſſ.24.c.2. de reform.

gēs in Seminarij erectione ; à Synodo
Prouinciali corripi, & cogi poſſit vt Tri-
dētinum docet [g] per hæc verba. *Quod ſi
cathedralium, & aliarum maiorum Eccle-
ſiarum Prælati, in hac Seminarÿ erectio-
ne, eiuſq; conſeruatione, negligētes fuerint,
ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint;
Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopū
& Superiores, Synodus Prouincialis acri-
ter corripere, eoſq; ad omnia ſupradicta
cogere debeat*. Si † agendum eſſet de pu- 23
niendo Metropolitano, hoc non valeret
Prouinciale Concilium decernere, [h] ad-
uerſus Metropolitanum caput ſuum [i].
Licèt etiam hæc Synodus, iuriſdictionē
in omnes prouinciæ prælatos, in crimi-
nalibus quoque habeat, & olim ſuſpen-
dere & grauiori pœna mulctare Epiſco-
pos poſſet [k], nunc vero, Epiſcoporum
cauſæ, quæ depoſitione, aut priuatione
dignæ fuerint, ab ipſo tantum Romano
Pontifice cognoſcendæ, & terminandæ
ſunt [l]. *Quod ſi* (Tridentinum ait [m]) *eiuſ-
modi ſit cauſa, quæ neceſſario extra Ro-
manam Curiam ſit committenda; nemini
prorſus ea committatur niſi Metropoli-
tanis aut Epiſcopis à Beatiſſimo Papa eli-
gendis; hæc vero commiſſio, & ſpecialis
ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis
ſignata: nec vnquam plus, his tribuat;
quàm vt ſolam facti inſtructionem ſumāt,
proceſſumq; conficiant quem ſtatim ad*

g Trident. ſeſſ.23.c.18 de reform. poſt mediū

h Abb.in c.graue nimi[s] deprębend.

i Argum.l.penult.ff.de arbitr.

k Cap.ſi quis à propri[o] 21.q.5.

l Beroi.in c.1.nu.67.& ſeqq.de iudic.poſt alio[s] ibi. Bertachi.lib.3.q.2 de Epiſc. Borgaſ. de Ir[reg]. regul.3.p.tit. de Epiſc

m Trident. ſeſſ.24.c.5

Rom. Pont. tranſmittant reſeruata eidem Sanctiſſimo, ſententia diffinitiua. Nec valent Prouincialia Cõcilia (licèt aliquoties ab ijs rectè ſtatuta, ab Eccleſia ſuſcipiantur) [n] de arduis negocijs ad Sedē Apoſtolicam ſpectantibus, quidquam diffinire; [o] nec generales Cõſtitutiones; extra prouinciam vim habituras, condere: & ſic intelligēdus eſt Gratianus diſt. 8. in ſumma, vim tamen habent, Prouinciales Canones (non vero generalès, aut de maioribus negocijs vt dictum eſt) ſtabiliendi; [p] & curandi, vt ſeruentur quæ generaliter ſeu ſpecialiter obſeruari præcipiuntur.

n Vt in cap. 1. de cõſtit. c. 2. de elect. c. ne Epiſcopi de tempor. ordin. c. 1. de ſeruis non ordin. cum ſeqq. cap. 1. de fill presbit. c. 1. de oblig. ad ratiocin. red. & alibi ſæpiſſimè.

o Cõcordat. c. 1. diſt. 18.

p Nam quilibet populus & Eccleſia ſibi poteſt ſtatuere aliquod ius vt in c. ius ciuile. d. 1. & c. quæ contra. d. 8. c. catholica. d. 11. c. 1. de cõſecr. d. 3. c. conqueſtus de fecijs. l. omnes populi. ff. de iuſt. & iur.

De Concilio Epiſcopali.

24 EPiſcopale † Concilium, (aliàs diœceſana Synodus appellatum) *eſt, quòd Epiſcopus in ſua diœceſi, conuocatis ſuis Eccleſiaſticis ſubditis, pro morum perfectione, maleficiorumq; punitione, quotannis celebrat* [q].

In ſua diœceſi.

Quia licet Epiſcopus in diœceſi, (ſicut & legatus in prouincia ſua) [r] ſtatuta facere valeat [ſ] nedum viuente ipſo, ſed poſt obitum, vel receſſum vim habitura [t] attamen hæc ſtatuta; quæ nota plebibus fieri debent, [u] nec ſubditos extra diœceſim habitantes, nec ignorãtes,

q Elicitur ex c. placuit. 12. q. 2. c. Abbates 18. q. 2. c. ſicut olim de accuſat. Trident. ſeſſ. 24. c. 2. de reform.

r Cap. fi. de offic. leg.

ſ Cap. 1. & cap. fi. de cõſtitut. 1. in 6.

t Dict. c. fi. de conſtitut.

u Cap. fi. diſt. 18.

niſi ſupina ignorantia ſit [x] ligare queũt.

Conuocatis Eccleſiaſticis ſubditis.

Quia Epiſcopalis poteſtas † præcipue in Eccleſiaſticos protẽditur: quibus omni ceſſante exemptione [y] incumbit onus interceſſendi Synodis.

Pro morum perfectione, maleficiorumq; punitione.

Nam hæc ad iuriſdictionem Epiſcopi ſpectant, aliàs vero non poſſet ſtatuta facere, in rebus in quibus daretur intereſſe aliorum non delinquentium niſi ex eorum conſenſu: [z] exempli gratia inſtituere nonam feriam in honorem ſancti recenter canonizati, fieri non poſſet ſine conſenſu, vel præſentia populi.

Quotannis.

Quia quotannis hæc celebranda fore pręcipit Tridentina Synodus loco ſupra citato.

x Supina ignorantia dicitur cum quis ait quod omnibus notum eſt, ſe ignorare c. 1. de poſtul. prælat. c. Apoſtolicæ de cler. excom. miniſt. l. late. ff. de verbor. ſignif Butrius in c. 1. de Epiſcopo qui renunt. Epiſc. 25

y Trident. ſeſſ. 24. c. 2. de reform.

z Poſt Innocen. Ioann Andr. & Archi l. tenet Abb. in c. cõqueſtus de ferijs.

De Conſtitutionibus.

SECTIO XV.

SVMMARIVM.

1 *Conſtitutionis diffinitio, & diuiſio*

2 *Qui poſſint Conſtitutiones edicere, & quæ ſint de ſubſtantia earum.*

3 *An ratio ſit de ſubſtantia Conſtitutionis.*

4 *An promulgatio ſit etiam de ſubſtantia.*

5 *An requiratur ſcriptura.*
6 *Quomodo fieri debeat promulgatio, & an ante ipſam obliget Conſtitutio.*
7 *Pontificia Conſtitutiones quomodo promulgantur, & quando obligare incipiunt.*
8 *De acceptatione, tertio requiſito Conſtitutionis*
9 *Quando obliget Conſtitutio in foro poli.*
10 *An actus contra legem ſit irritus.*
11 *An Conſtitutio ſit perpetua; & futura duntaxat negocia reſpiciat.*
12 *Quot modis derogatur.*

POſtquam de Concilijs, eorumq; auctoritate, quæ ſcitu digna iudicauimus, breuiter attigimus; conſequenter de Conſtitutionibus in vniuerſum agere non inutile fore exiſtimamus.

1 CONSTITVTIO † (vt Gratianus [a] ex Iſidori dogmate, pro decreti conſtitutione habito, teſtatur) *eſt Lex ſcripta.*

a Grat. ex Iſid. in c. lex diſt. 1.

Bipertiuntur Conſtitutiones in *Eccleſiaſticas*, &, *ſeculares*. Eccleſiaſticas appellamus, quas ſummus Pontifex, ſolus, vel de Cardinalium conſilio ad nullius conſultationem ſancit; propriè *Decreta* appellatas [b], vel vt vulgo *Bullas*: ac etiam, quas, ab alijs conſultus; vel ſolus, vel de Cardinalium conſilio, præſcribit; propriè *Decretales epiſtolas* nuncupatas [c]: eaſq; omnes legis communis, vim auctoritatemq; habere; ſub dubio cadere nequit. Nam omne illud quod Princeps inter partes con-

b 20. d. c. ſi decreta & ſeq.

c De reſcrip. c. 1. & gl. 3. § omnes hæ ſpecies. diſtinct. 3.

ſultus,

ſultus, reſpondit, legis communis effi-
caciam obtinet: quòd Principem velle,
præſumendum erit, licèt non expreſsè
conſtet [d].

Patriarchæ † Primates Archiepiſco-
pi & Epiſcopi, & omnes qui iurisdi-
ctionem perpetuam in aliquos habēt [e],
ac etiam legati, quamuis nō perpetu i[f], 2
Conſtitutiones, à ſuis ſubditis cuſtodien
das edicere valent: Quæ, quia ab Eccle
ſiaſticis perſonis, & de Eccleſiaſticis re-
bus ſtatuuntur, Eccleſiaſticæ, nuncupan
tur. Conſtitutiones verò ſeculares ſunt
quas Imperator, Reges, Principes [g],
Magiſtratus, aut populi ſibimet ipſis
ſanciunt; [h] quæ quidem ſi ratione nitan-
tur, & Euangelicis atque Canonicis de-
cretis non aduerſentur, omni ſunt vene-
ratione dignæ; [i] licèt iuri communi re-
pugnent. Sed eſt notandum, quod Ec-
cleſia non ligatur his Conſtitutionibus,
& ſi quod in ipſis ſtatutum fuerit, com-
modum Eccleſiarum reſpiciat; donec ab
Eccleſia fuerint comprobatæ [k].

Tria in quacunque Conſtitutione aut
lege ſubſtantialia requiri & eſſe, ſæpè Iu-
rium Doctores iudicarunt videlicet *Ra
tionem, Promulgationem* & *Acceptationē.*

Ratio † in quacunque actione noſtra
præſertim in Conſtitutione vel lege ſic 3
neceſſaria eſt, vt ſine ea neque iuſtum,
neque perfectum quidquam dari poſſit: [l]

d Cap. in cauſis vlt. Felyn. de re iud.. l. fi. C. de legib. l. item veniūt, §. cæterum de pet. hæc Rip. in c. 2. nu. 8. de reſcript.

e Cap. 2. de maior. & obed. c. 2. de Cōſtit. in 6.

f Cald. conſil. 8. Rom. 325. Iaſon. l. fi. ff. de Cūſtit. princ. Calcan. conſ. 7. Crau. 135. nu. 2.

g Videlicet Duces, Comites, Marchiones.

h Bartol. communiter probatus in l. omnes populi de iuſt. & iur.

i De hoc diſt. 10. per tot. An ſint ſeruandæ in foro poli, vidè Abb. in proœm. decret. & DD. in c. 1. de Conſtit.

k C. cum Eccleſia ſanctæ Mariæ de Conſt. c. cum vobis de præſcrip. c. 1. de nouij oper. nūc. Abb. in c. ſi diligenti de for. compet.

* Ratio eſt de ſubſtantia Conſtitutionis.

l Cap. erit autem lex d. 4. l. cùm ratio. ff. de bonis damnat.

neque nos homines dici, ſi in nobis ipſis ratio deeſſet, cum ſola hæc nos à brutis ſecernat, homines ideſt rationales efficiat, & cum ipſo Deo rationis auctore conciliet. Eſt autem Conſtitutio, aut lex, omne quod ratione conſiſtit: [m] & ſic ratio non minus debet mouere iudicem, quam lex, ſiquidem vbi lex non eſt; ratio naturalis, tacita quædam lex [n] eſt. Vnde Conſtitutio aut lex quæ ratione careat, nullius eſt roboris, & lex dici nequit cũ eius anima ſit ratio, à qua ſubſtantiam habet, vimq; obtinet. Nec obſtat quod Iuriſconſultus dixerit, [o] *Principis placitum, legem fere dicendum*; quoniam in Principum Conſtitutionibus, ſemper placitum, cum ratione coniunctum, & ex cauſa latum eſſe, Doctores exponunt. [p] Proprium quidem Principis munus eſt rectè & ſapienter Cõſtitutiones, quibus populi iuſtè gubernentur, edicere: qui vero à ratione deuiaret, non ſapiens, & rectus, ſed inſanus iniuſtuſq; eſſet. Hinc ſequitur quod Principis Cõſtitutio quãuis dura ſit, obſeruari debet [q] tam *in foro poli*, quã *in foro fori*, quia ſemper præſumitur rationi innixa, licet nõ in promptu appareat ratio, veritatis demonſtratiua, vt ab vnoquoque facile percipi poſſit [r].

Conſtitutio † aut lex, vt in omnium
4 notitiam peruenire poſſit, promulgatio-

ne

[m] §. reſponſa Inſtit. de iur. natur. gent. & ciui.

[n] Inquit Paul. in dict. l. cum ratio. ff. de bonis damnat.

[o] ff de Conſtitut. Princip. l. 1. Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu.

[p] Bald. & alij in l. 1. C. de Conſtit. in princ. Fulgoſius in l. 1. ff. de Conſtit.

[q] Leg. proſpexit. ff. qui, & à quibus Berol. in c. 1. de Conſtit. nu. 221. & in c. cum omnes, nu. 20. eo. tit.

[r] Leg. non omnium. ff. de legib. Bald. in rub. de Cõſtitut. col. 4. & in l. 1. C. ſi plures vna ſentent. condemnati ſunt.

ne indiget quæ eſt de ſubſtantia legis vt Canonico [f] & ciuili habetur iure; nihil quidem proderit quod in voluntate ſit, niſi promulgetur vt poſſit obſeruari; & niſi ſcribatur vt poſſit conſeruari; maxi mè cum perpetuo liget. [t] Quod promulgatio de ſubſtantia Conſtitutionis ſit, communiter receptum eſt. Sed an † in ſcriptis ſit neceſſario redigenda, & ſcriptura pro ſubſtantia legis recipienda, quamuis nonnulli doctores ambigunt, affirmatiuam partem tenet iurium peri torum phalanx: [u] eò innixi, quod cum conſtitutiones ſciri, mentiq; debeant teneri, vt perpetuò ligent, & earum tranſgreſſores iuſta ignorantia excuſari nequeāt, nulla aptiori via id effici, ac perpetuo ſeruari poſſunt, quam ſi ſcribātur, vt multi textus probant: [x] & ex ipſa diffinitione (ſcilicet *Conſtitutio eſt lex ſcripta*) conſtat, & ſupra *ſectione de Legibus nu.9.* diximus. Nam ſi ſententia diffinitiua, quæ ius facit inter partes, & vnius cauſæ tantum diffinitio eſt, neceſſario vt valeat, ſcribi debet [y], Conſtitutio, per quam innumerabiles diffiniūtur, & ſubditi puniuntur, meliori iure ſcripturam requirit. Quibus fauet, quod Naturale Ius, licèt non in ſcriptis redactum, fuit tamen mortalium mētibus inſculptum; iuxta illud. [z] *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam*

f De poſtul. præl. c. c. ad hæc. de Cōſtit. c. cognoſcentes. diſt. 4. c in iſtis l. leges ſacratiſſimæ. C, de legib. Auth. vt fact. no. Conſtit.

t De Conſtitut. c. 2. & vlt.

5

* An Scriptura ſit de ſubſtantia conſtitutionis.

u Abb Barb. Ioan. And. & alij in rub. de conſt. Prępoſ. Archid. Bellam. in c. conſuetudo & in c. lex. diſtin. 1.

x Cap. lex eſt 1. d. cap. erit. d. 4. ibi. *Pro communi vtilitate ſcripta.* c. duæ ſunt 19 q. 2 cap. ſcribam de præſumpt. c nouerit c. grauem de ſent. excom. Accu. C. de mand. princip.

y cap. cum inter & vlt de re iud.

z Hieremias. c. 31. Paulus ad hæbr. c. 10.

eam

eam, fixumq; permanſit clareſcente naturæ luce, donec natura corrupta neceſſe habuit, quod Decalogus in ſcriptis daretur. Nec aduerſatur huic opinioni, in Iure præcipi [a] Eccleſiaſticam traditionem, & decreta Apoſtolicæ Sedis, ſcripta, aut non ſcripta fore ſeruanda; quaſi dicat; non ſcriptam legem, certam quoque legem eſſe; Nec quod Principis placitum, licèt nulla ſcriptura interueniat, vim legis habeat: [b] Nec quod vſus, vel conſuetudo ſcripta non ſit, quia cum ex frequenti vſu, ab omnibus ſit recepta, non indiget ſcriptura ſicut Conſtitutio; quæ ſcribi debet, vt à nemine ignoretur: Quod roboratur à forma diſtinctiua legis, à conſuetudine, ex vtriuſque Iuris teſtimonio; [c] vbi diſtinguitur *Ius ſcriptum*, à *non ſcripto*, & primum vocatur *lex*, ſecundũ *conſuetudo*, quæ, in hoc quod ſcriptura non eget, differt à vera lege. Quod approbant Iuriſconſulti [d] dicentes diuturnam atque acceptam conſuetudinem, non minorem habere auctoritatem quam ſi ſcripta lex foret: quaſi annuentes, veram legem, ſcripturam efficere. Et prædictis reſpondetur quod omnia Principum placita, vel leges, quæ ſcriptæ non ſint, non ex omni ſui parte perfectæ dicendæ ſunt, vt Imperator in Codice [e] ſignificat: ſed ſolemnis certaq; lex indicabitur illa, quæ à ſapientũ con-

a cap. ſi quis omnem 1. q. 7. facit Clement. dudum de ſepult. ad fin. verſ. nos etenim 25. q. 2. c. inſtitutionis, quod etiam inducitur de renunciat. lib 6. c. 1.

b Leg. 1. ff. de conſtit. Princ. l. 1. C. eo. tit. & §. quod principi Inſtit. de iur. nat. gent. & ciu. Cicer. l. 1. de legib.

c cap. conſuetudo. 8. d. c. lex. diſt. 1. c. duæ ſunt 19. q 2. l. de quibus ff. de legib. & inſtit. de iur. nat. gent. & ci.

d Hermog. & Pau. in l. ſed ea, l. diuturna. l. imo. ff. de legib.

e In leg humanum. C. de leg. & in §. 1. auth vt nouæ conſtit.

ſilio ſcripta, publicata, omnibuſque
manifeſta fuerit: quia etſi ſcriptura
non de eſſe, nec ſubſtantiali forma le-
gis ſit, eſt tamen de accidentali, & re-
quiritur ad ſcientiam inducendam, &
ſecundum frequentiorem contingentiã,
quæ habet quod conſtitutiones & leges
ſcribãtur & per exhibitionem ſcripturæ
probentur.[f]

Promulgationem diximus † neceſſa-
riã, quia ante ipſam, conſtitutio carebit
vigore, & obligare nequibit, [g] nam le- 6
ges quum promulgantur inſtitui dicun-
tur: [h] Et quamuis vt promulgata cen
ſeatur, non indigeat in omnium noti-
tiam peruenire, ſed ſolemniter in Prin-
cipis curia manifeſtari: [i] non tamen
ſufficiet generaliter factam fuiſſe in
Principis curia, ſi ſub eius ditione di-
uerſæ ſint prouinciæ longe ſeparatæ;
non quidem tunc exiſtimabitur pro-
mulgata, donec in ſingulis edicatur.
Quia iniuſtum eſſet, vt Soto ait, [k] *quod
lex promulgata Matriti, ex tunc per-
ſtringeret Indos*, & ſic non confeſtim à
prolatione, ni poſt bimenſe tempus à
Ciuili iure conſtitutum,[l] vim obtinere,
& obligare incipit: quod tamen in ex-
teriori foro locum habere intelligitur:
nam quantum ad conſcientiam, antea
ſcientes, continuò obſtringerentur ſicu-
ti etiam omnes qui citra culpam diu

f Not. Accur. C. de mãd. princ. in rub. l. vna co. tit. c. nobiliſſimus, 97, d. c. cũ olim de priuil.

g Quod promulgatio eſt de ſubſtantia conſtitut.

h Cap. in iſtis d. 4. c. 1. vbi Abb. de poſt. præl. Beroi. poſt alios in c. cognoſcentes de conſtitu. nu. 51. L. leges. C. de leg. Auth. vt fa. no. conſt.

i In d. c. 1. de poſt. præl. & in præd. Auth.

k Soto de iuſtit. & iur. lib. 1. ar. 4.

l §. 1. & tot. tit. in Auth. vt fact. nou. Conſtit.

tius ignoraſſent, excuſarentur. Non obſtante aliquorum opinione, exiſtimantium illam temporis dilationem legem conficere, & promulgari, ab omnibusq; intelligi efficere; & ita neminem intra tempus ei obtemperare teneri; quoniam antea neque veram, neque perfectam legem eſſe credunt; quos Cucchus ſequitur dicens. [m] *Si antea legis non habet vigorem, quam poſt publicationem duo menſes ſint lapſi; peccare vtique non videtur, qui eam legem non cuſtodit, quam ſcit; non dum legis auctoritatem habere.* Quibus reſpondetur, quod etſi legis virtus, & actus, in tempus dilata ſit atque ſuſpenſa; nihilominus ante tempus illud, lex eſt, quia temporis dilatio vel conditio in hominum actibus atque contractibus; non vt ſubſtantialis forma accedit; ſed tanquam accidentalis; neque rei perfectionem, aut quid ſubſtantiæ addere, vel adimere poteſt, vt planè Iuriſconſultus [n] decidit. Et illa ſit temporis deſignatio, vt nullus ſub ignorantiæ prætextu, poſt temporis euentum in foro contentioſo excuſari valeat, quin puniatur, ſi legis trangreſſorem fuiſſe conſtet. Præſumitur enim ante lapſum bimeſtre, legem ignorare: ſed qui poſt lapſum, ſe ignarum ſignificare velit, non debet admitti, niſi iuſtam ignorantiæ cauſam probarit,

m M.Ant. Cucch. Pandect.l.1.t.3.n.21.

n Notat.in l.centeſimis, & in l.eum,qui. ff. de verb.oblig.

barit,[o] videlicet *Aegritudinem, furorem minorem ætatem, aut arctum in prouincia carcerem :* quæ cum non ſint difficilis probationis, ea indigebunt. Si vero tempore promulgationis, apud turchas, hæreticos, vel alios; penes quos notitia peruenire nequibat, reſideret, & probatio difficilis ſit, iuramento credendus erit. Conſtitutiones vero Principum inferiorum, & Synodales, propter prouinciæ anguſtam, vna duntaxat publicatione facta, & ante lapſum bimeſtris, ligant. [p]

o DD. in c. cognoſcentes de conſtit.

p Abb. & alij in d. c. cognoſcentes, Bartol. in l. omnes populi nu. 37. de iuſt. & iur. Silueſt. verb. lex. q 5.

7

Conſtitutiones vero † Summorum Pontificum, ſeu vt vocant *Bullas*, quandoque expreſſum tempus habent, vt ex illa Xiſti V. contra Clericos malè promotos, ac in Epiſcopos in ordinum collatione peccantes, conſtat, [q] ſcilicet. *Vt autem præſentes litteræ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad Valuas Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie campi Floræ affigi, & publicari: & poſt quindecim dies qui in Vrbe ſunt, qui vero extra eam, & citra montes, intra quattuor menſes, qui demum vltra montes erunt intra octo mẽſes, à die publicationis huiuſmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac ſi eorum cuique intimatæ fuiſſent, &c.* Sæpius etiam à die publicationis Romæ factæ, vim nanciſci, &

q In Bulla Xiſti V. Dat. Romę apud S. Petrum Non. Ian. ann. 1588. ſui Pontificatus 4.

N obli-

obligare. S. Pontificum Conſtitutiones ipſimet velle teſtantur, vt illa Pij IV. exemplum eſt. [r] *Volumus & mandamus quod eædem præſentes in Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ noſtræ Valuis, ac acie Campi Floræ, per aliquem ex curſoribus noſtris affixæ, copia illarum ibi dimiſſa, ab ea die omnes perinde arctent, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent.*

r In Bulla Pij 4. ſuper reſid. prælat. & cæteror. reſidere debentiũ. Dat. Romæ 7. kal. Decembr. anno 1564. Pontific. ſui anno 5.

Denique Pontificum Conſtitutiones, Romæ publicari ſufficit, vt Doctores ſcribunt, & vſu ipſo ſeruari tradunt [ſ]. Quod Panormitanus exponit, dicens, fore intelligendum, quando dictæ Conſtitutiones ſunt irritantes, ac inualidantes aliquem contractum (dum tamen non ſint iniuriam tertio inferentes) vt ſi ſancitum eſſet, quod omnes Eccleſiaſticæ dignitates, & præbendæ, nullatenus niſi Doctoribus, & nobilibus, prouideri poſſent: cæteraq; Eccleſiaſtica officia & beneficia, prohiberentur omnibus à Mauris, vel Hebræis quoquomodo originem ducentibus, certum eſt, quòd ex illo promulgationis momento, nullius eſſent momenti collationes in contrarium factæ. Tunc enim ab articulo promulgationis vim haberent, quantum ad reſciſſionem contractus, non autem quantum ad culpam, & pœnam; quia durum eſſet

ſ Abb. in c. nouerit, de ſent. excomm. idem in c. cognoſcentes de conſt. vbi Bero. n. 52. Silu. ver. lex q. 6. Soto de iuſt. & iur. l. 1. q. 1. ar. 4.

aliquem in culpa ponere, & pœna affi-cere, priuſquam legis notitiam habue-rit [t]. Sicuti duriſſimum foret, quod à die promulgationis Romæ factæ, ir-ritarentur contractus, qui caderent in iniuriam tertij. Vt, ſi quintus matri-monij gradus, nunc prohiberetur, an-tequam hæc prohibitio in notitiam re-motè habitantium perueniret, plurima poſſent contrahi matrimonia, quæ po-ſtea abſque contrahentium iniuria, diſ-ſolui nequirent; quapropter, hæc & alia id genus, irritationem ſortiri non debent, niſi à promulgatione in pro-uincia facta; quod in omnibus Pontifi-cijs Conſtitutionibus intelligendum eſ-ſe exiſtimo, niſi expreſsè aſſignato tē-pore aliter velle ſignificarent. Cui fa-uet ſententiæ, frequenter illo vti ter-mino, *Ex nunc*, vel, *Ex tunc* [u] ad red-dendos aliquos ob culpam, vel defe-ctum inhabiles; & certiſſimum eſſe Conſtitutiones reuocantes, aut ſuſpen-dentes priuilegia, vel indulgentias, nul-la vi pollere, quòad promulgentur, ne-dum in prouincia, ſed etiam in diœ-ceſi; & ſic quicumque vſque ad ipſum promulgationis articulum, poterit ci-tra culpam priuilegijs vti, & virtute ipſorum ſacramentaliter à reſeruatis abſolui, validaq; erit abſolutio [x].

Supereſt † tertium conſtitutionis, vel 8

t Silu. ver. lex. q. 5.

u c. cū ſingula de præb. in 6. Cle. nolentes de hę ret. Clem. 1. de iurepat.

x Tenent. DD. & Sot. vbi ſupra.

legis requiſitum aſſignare, ſcilicet *Acceptationem*, Non enim poſt promulgationem, & bimeſtris lapſum, conſequenter firma, perpetuaq; dici poterit Conſtitutio, aut lex, ni prius à maiori parte populi recepta fuerit. Quod non mirum videri debet, cum ab ipſo populo Imperator poteſtatem condendæ legis acceperit.[y] Vnde ſi maior populi pars, vel certum perſonarum genus, ipſam nullatenus admittere voluerint, derogata vel abrogata iudicabitur,[z] (ſicuti per rogationem, à rogato populo vt nouam legem acciperet, rogata dicebatur[a]) & nullum vinculum inijciet; nec in legum numero conſcribēda erit. Secus autem, ſi minor populi, aut certi generis perſonarum pars, obtemperare, ipſamq; admittere recuſauerit[b].

Obſeruandumq; erit in cuiuſuis Conſtitutionis, vel legis ſanctione, ne alicuius priuati *commodum*, vel fortaſſe *odium* reſpiciat, quia ei, in cuius odium tendat ab ea appellare licebit;[c] ſed quòd ad publicum dirigantur bonum, Euangelioq; diuinis Decretis, ac Iuri naturæ nullatenus aduerſentur, Iuſtitiæq; innitantur; vt obſeruari debeant, obligareq;
9 poſſint in vtroque foro. Nam † ſi iniuſtę fuerint non obſtringent in foro poli niſi ratione ſcandali.[d] Non quidem ſemper conſtitutio obligat ad mortale ni hæ

qua-

* Quod conſtitutio debet recipi à populo.

y §. ſed & quod inſtit. de iur. natur.

z l. derogatur vb. Alciat. de verb. ſignif.

a Budæus in prioribus annot. ad poſterior. l. de Origi. iur. Vlp. in l. 1. ad leg Aquil.

b Silueſter vb. ſup.

c Bart. ab omnibus probatus in l. omnes populi, ff. de iuſt. & iur.

d S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4.

quatuor præcipuæ ſupranotatæ, vt doctores dicunt [e] concurrant, videlicet quòd ſit *iuſta:promulgata:tempus conſtitutum elapſum, & à ſubditis accepta*. Ac etiam non obligabit in foro poli, ſi ipſa conſtitutio aut lex, hunc forum à contẽtioſo diuiſerit, vel forſan fundata eſſet in aliqua præſumptione falſa, quòd ſi conſtaret, poſſet qui ſciret, tuta conſcientia legem non ſeruare [f].

Reſoluũt † etiã Doctores, quod actus contra conſtitutionem Prætorum Epiſcoporum, Ducum, vel cæterorũ, factus, ſola prohibitione ſtatuta, nõ irritatur [g]. In lege vero Ciuili, irritationem ſortiri dicunt, [h] niſi lex ſit permittens, [i] & non prohibens. 10

Vel prohibitio ſit temporalis, & non perpetua: [k] vel lex, pœnam tranſgreſſoribus impoſuerit, quia generalis pœna per ſpecialem aboletur, & pro eodem actu, non duplex adijcienda eſt pœna; vna ſcilicet impoſita, altera vero irritationis actus, quando actus irritatio pœna iudicatur, vt ſi iuri quæſito vel patrimonio obeſſet [l]: quãdo autem iuri quærendo, duntaxat officeret, quia pœna non dicitur, ab alia non excuſabitur.

Item nota, † quod etſi Conſtitutio vt perpetua ſit, ſit; expedit quandoque pro temporum locorum, rerum, & perſonarum varietate mutari [m]. Et licèt à na- 11

e DD. vbi ſup. & in c. nouerit. de ſentent. excomm. & c. in iſtis §. leges. diſt. 4. S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 9.

f cap. tua nos vb. notat. de ſponſal. c. is qui fidẽ eo. tit. c. inquiſitioni de ſent. excom. Fely. in c. ſicut dignum de homic.

* An actus contra legẽ ſit irritus.

g l. 3. §. ſed vtrum vbi gloſ. verſ. non puto. ff. de minor. Bart. & Iaſon. in l. nõ dubiũ. ff. de leg.

h cap. in nomine Dom. vbi Fely. de teſtib. c. qui contra de reg. iur. in 6.

i dict. l. non dubium. Abb. & alij d. c. in nomine Domini.

k Clem. 1. de iure patr. Iaſon. dict. l. non dubiũ.

l Abb. Fely. & alij. d. c. in nominẽ & in c. venerabilis. de iudic. & c. in cauſam de off. deleg.

m cap. non debet vb. gl. de conſang. & affinit. c. ſciendum. d. 29.

tura ſua futuris duntaxat negocijs ſit edita, [n] nonnunquam præterita, & pendentia amplectitur, nempe ſi id expreſſerit, vel ſi vſu ſic receptum habeatur; vel ſi declarandi cauſa, potius quam ſtabiliendi, lata fuerit: [o] quando autem ordinem procedẽdi aſſignat; futura, & pẽdentia ſimul circunnectit. Demum † quinque præcipuis modis derogari, & tolli traditur.

12

Primo, *Abrogatione*, ſcilicet, quod nõ recepta fuerit vt diximus:

Secundo, *Ceſſante cauſa* [p] propter quã ſancita fuerat.

Tertio, *Actu contrario*. Non quod Princeps confeſtim vno actu, ipſam abroget, (nam ex cauſa quandoque ab ſtatuto diſcedere videtur, non proinde ipſo abolito, [q]) ſed ſi multoties aduerſus legem animo ipſam auferendi, conſultò quid factum vel ſtatutum fuiſſet.

Quarto, *Lege poſteriore*, è diametro primæ repugnante [r] & quamuis ſic abrogata fuerit, non exinde cenſentur abrogati actus, ante abrogationem ſecundum legem facti [s].

Quinto, *Non vſu*, hoc eſt, quod caſus à lege diſpoſitus euenerit, & ea haud vſi fuerint, tunc in deſuetudinem abijſſe, ſublataq; dicetur: Secus autem ſi nondum inciderit caſus, vt lex executionem ſortiatur [t].

De

[n] dict. c. cognoſcentes de conſt. & c. 1. de offic. lega. in 6.

[o] Bartol. in l. omnes populi q. 5. princip.

[p] cap. neophytus & ibi gl. in verb. cauſa. 61. d. l. adigere §. quamuis. ff. de iur. patro.

[q] leg. ſi quando. C. de inoffic. teſtam.

[r] Decius. l. in omnibus de reg. iur. & exempla ſunt in multis Iuſtiniani nouellis.

[s] Cardin. Abb. & Fely. in c. quę in eccl. de cõſt.

[t] Leg. vnus ex ſocijs §. fin. cum l. ſeq. ff. de ſer. ruſt. pręd. gloſ. in c. Abb. veſ. ibid. ad fin. vb. Abb. & alij de verb. ſignific. Felyn. in c. cum acceſſiſſent, de conſt. n. 25. verſ. hanc reg. vbi alij Bart. in l. cum ſcimus poſt princip C. de agricol. & cenſit lib. 11. & in l. filius C. de decur. lib. 10.

De reſcriptis, Bullis, Breuibus, & Mandatis Apoſtolicis.

SECTIO XVI.

SVMMARIVM.

1 Reſcripta vnde nomen obtinent, & quid comprehendant.
2 Diffinitio reſcripti: & de eius ſpeciebus.
3 Quid ſint reſcripta Iuſtitiæ, & gratiæ.
4 Decē differentiæ inter hæc duo reſcripta aſſignātur.
5 Reſcripta à priuilegijs differre; & quid ſint reſcripta mixta tangitur.
6 Reſcripta in forma pauperum quid comprehendant & quomodo vitientur.
7 An omnia reſcripta ſubreptione vitientur: & quæ in contentioſis exponenda ſunt.
8 In literis ad beneficia quæ exprimi debent.
9 Reſcriptum iniuſtum, an ſit obſeruandum.
10 An reſcripta debeant reduci ad Ius commune: & quando ſubreptitium reſcriptum poſſit allegari.
11 Quid faciendum, oblatis ſub eadem data diuerſis reſcriptis.
12 Communis reſcriptorum lex.
13 Quot modis reſcripta valida extinguantur.
14 Breuia vnde dicantur, quid ſint, & cur minori prætio adipiſcantur.
15 De diuerſis eorum modis, ſimulq; aliqua quæ per Breue expediri ſolent numerantur.
16 Bullæ diffinitio, & vnde ſumatur eius materia & forma.
17 De Mandato Apoſtolico & ſeptem formis eius.
18 An Mandatū de prouidendo ante acceptationem, tribuat Ius in re, vel ad rem.

EX Epiſtolis quibus Summi Ponti-
fices, aut Imperatores, conſulenti-
1 bus ſeſe, reſcribendo † reſpondebant,
Reſcripta nomen obtinuiſſe, totumq; fe-
rè Pontificium Ius manaſſe [a], vt Decre-
tales non obſcurè produnt, ignorat ne-
mo. Reſcriptorum vero ſpecies, diſcri-
mina, & ſubſtantiam, quamplurimos la-
tere, agnoſcunt multi. Quocirca, per
hæc ſummatim, vt nobis moris eſt tran
ſitum facere, non extra rem fore fate-
buntur omnes: cum Iura condita, quæ
in Conſtitutionibus conſiſtunt, ad eorū
executionem miniſtris indigeant, qui
vt plurimum per reſcripta deſignātur [b]:

Et quia *Reſcriptum* generaliter, vel
largo modo acceptum, nedum compre-
hendit literas ad lites, ideſt ad Iuris ob-
ſeruantiam emanatas, verumetiam li-
teras beneficiales, & etiam priuilegia,
2 ſic ſumptum diffinitur † eſſe [c] *quidquid
ad conſultationem, relationem, ſeu intima
tionem alterius, vel alicui indulgendo, à
Papa aut Principe reſcribitur*.

Vnde tres ſunt reſcriptorum ſpecies,
quædam *Iuſtitiæ*, ſcilicet contentioſa [d],
vel ad lites. Quædam *Gratiæ*, quibus be-
neficia [e], aut diſpenſationes ſupplicibus
elargiuntur. Alia vero *Mixta*, ideſt
vtriuſq; naturam participem habentia.

3 Reſcripta ad lites † (contentioſa, aut
Iuſtitiæ appellata) propriè dicuntur, ea

quæ

a tit. de reſcr. vbi DD. Vlp. l. 1. ff. de Appell.

b cap. cōmiſſa de elect. in 6. Abb. in rub. de reſcr.

c Hoſt. in ſumm. tit. d. reſcript. & ibi Bald. in l. falſo C. de diuerſ. reſcripti. l. reſcripta. C. de precib. Imp. offeren. & paſſin. in lebris. ff.

d cap. ſuper literis de reſcr. & c. ſtatutum eo tit. in 6.

e c. poſtulaſti de reſcr. c. non liceat de præben. Clem. gratiæ de reſcr. c. ſi gratioſæ eo tit. in 6.

quæ Princeps ſcribit ad Iuris obſeruantiam [f], vt quando committit cauſã decidendam inter aliquos. Horum vis, & natura ex infra dicendis patebit.

f Bald.in rubr.de reſc text. & DD.in c.caus quæ eo tit.

Gratiæ verò reſcripta, ea ſunt, quibus Romani Põtificis liberalitas exercetur, beneficia largiendo, criminum pœnas remittendo, ac in diuerſis defectibus, & prohibitionibus diſpenſando [g].

g clem.gratiæ de reſc c.ſi gratioſæ eo tit.in

Inter iuſtitiæ, & gratiæ reſcripta, hæ differentiæ dantur.

Primò, quod reſcripta gratiæ † poſſunt nomine alieno [h] ſine ſpeciali mandato à quocunq; etiam laico [i] impetrari, ſed reſcripta Iuſtitiæ, cum præiudiciũ afferant, ſpeciali indigent mãdato [k]. 4

h Cap.ſi motu propri verb. alterius, de præl in 6. gloſ. in c. ad au res de reſcript.

i c. accedens cum il not. de præb.

k Rebuf. in praxi. hc tit. num. 16.

Secundò, Reſcripta gratiæ conceduntur per ſupplicationem, & regiſtrantur: literæ vero Iuſtitiæ conceduntur etiam ſine ſupplicatione, & non regiſtrantur in libro cancellariæ, niſi dirigantur ad iudices in prouincia, quia non ſunt tanti præiudicij, quanti reſcripta gratiæ, & ſic vt celerius faciliuſq; & minoribus expenſis abſoluantur; eadem ferè, omnium reſcriptorum Iuſtitiæ, eſt forma [l], & finis.

l c. porrecta de confi vtil. & c. ad hæc de reſcript.

Tertiò, Cum difficilius gratiæ reſcripta concedantur, ſuſpicionẽ falſitatis facilius præbẽt, quam reſcripta Iuſtitiæ, quæ ſola raſura in aliqua parte, nõ ſunt ſuſpitioſa falſi [m]. Gratiæ vero reſcriptũ

m gl.in c. accedens d crimine falſi. facit quamuis de præb.in 6.

qualibet minima ſubreptione vitiatur[n]. Ideoq; ſi dubitari contigerit, an reſcriptum ſit gratiæ, vel Iuſtitiæ; potius Iuſtitiæ, quam gratiæ interpretabitur[o].

Quartò, Gratioſum etiam reſcriptũ, non dicetur ſubreptitium, licèt mentio facta non ſit, de altera gratia, ſibi ignorãti per procuratorem quæſita; quamuis eam poſtea ratam habuerit[p]. Quæ ignorantia probabitur, impetrantis iuramento, niſi ſit ignorantia non veriſimilis[q]. Iuſtitiæ autem reſcripta vitiantur ſubreptione, etſi proceſſerit ex ignorantia facti alieni, quia mens duntaxat concedentis ſpectatur; & veriſimile eſt quod nõ erat id conceſſurus, ſi ea expreſſa fuiſſent[r].

Quintò, literæ gratiæ vitiãtur ſubreptione ipſo iure, & omnia quæ virtute earum ſequentur, irrita iudicabuntur[ſ]. Iuſtitiæ vero quia nullum Ius tribuunt, non ipſo iure, ſed per ſententiam oportet irritari.

Sextò differunt, quod per aduerſę partis conſenſum, non validatur gratiæ reſcriptum, qualibet minima ſubreptione vitiatum; quia inſtitutio Canonica, quæ ad obtinendum Eccleſiaſticum beneficium requiritur, nõ ex partium conſenſu, ſed Rom. Pontificis & Ordinarij duntaxat auctoritate, & poteſtate, efficitur[t]. Secus autem in reſcripto ad lites,

n Ioan, de Graſſis in tr. de reſcr. 2. p. n. 62.

o Gomez de ann. poſſeſſ. q. 10. in fi.

p Abb. & Fel. d. c. ſuper literis vbi Dec. nu. 6. & Bero. nu. 43.

q Rom. conſ. 481. Fel. d. c. in noſtra.

r c. conſtitutus de reſcr. Abb. Dec. & Fel. in cap. dudum de elect.

ſ c. aures, c. conſtitutus, c. ad audientiã, de reſcr. c. cũ noſtris de conceſ. præben. Rom. ſing. 330.

t c. 1. de reg. iur. in 6. Rebuff. in pra. tit. de reſcr. grat. & iuſt. n. 13.

in quo, cum de præiudicio partium ſolummodo agatur, cui ipſa renũtiare poteſt; conſenſus partis vigorem conferet.

Septimò, reſcripta gratiæ quolibet tempore vim obtinent [u], & morte concedentis non expirant [x], ſicuti expirant reſcripta ad lites vel iuſtitiæ, quorum executio, intra annum peti debet, nam extra annum vigore carent [y].

Octauo, in reſcriptis gratioſis attenditur tempus datæ, vt ex eo quæſitum Ius dicatur [z]. In literis vero Iuſtitiæ, attenditur tempus pręſentationis earum, quia tacitè ineſt conditio *ſi fuerint præſentatæ* [a], nam antea Iudex non habet Iuriſdictionem.

Nono, litteræ gratiæ per verbum *fiat* a Pontif. Maximo ſignantur; ab inferioribus vero per *Conceſſum*, & ſic illæ, huic ſunt præferendæ. [b] Literæ vero Iuſtitiæ ſignantur, à Summo Pontif. per verbum *Placet*, C. vel altera litera, quæ prima ſit proprij ſui nominis in Baptiſmate accepti [c].

Decimũ diſcrimen eſt, quod diuerſis modis vinciuntur. Reſcripta gratiæ ſericeo funiculo crocei, rubeiq; coloris, vt plurimum ſexdecim filorum. Reſcripta vero Iuſtitiæ canapeo filo dipplomati iunguntur [d].

Quibus additur notandum, reſcripta † gratiæ quandoque appellari *pri-*

uilegia

u c.decet de reg.iur.in *6*.c.ſi cui, c. ſi clericis, vbi gl. & DD. de præb. in *6*.l.falſo C. de diuer. reſcr. Abb. Fel. & alij in c.capitulum hoc tit.

x c.ſi cui de præb. in *6*. Feder.conſil.79. Rebuf. in praxi de reſcr. gr. & iuſt.nu.36.

y cap.ſi autem plerumque de reſcr. c.gratum. c.relatum de off. deleg.

z cap.eam te. c.conſtitutus, eo tit. c. cum qui de præb. in *6*.

a cap. vt debitus de appellat.

b c. ſi à Sede de præb. in *6*.

c Octau. Veſtr. in prax lib.1.cap.3.

d cap. quam graue. c.l ect de crim. fal. Fel. in c.poſtulaſti col.3. de reſcrip. Cuchus l. 1. Pandect. hoc tit.

5

uilegia de quibus in ſequenti ſectione ſeparatim tractabimus, quia *reſcriptũ*, *&* *priuilegiũ* propriè loquendo diuerſa ſunt, [e] & dignoſcitur vnum ab alio ex forma vtriuſque & modo dictandi: [f] & quod reſcripta Iuſtitiæ aliquando explicantur in forma breuis, ſub anulo piſcatoris, interdumq; in forma Bullæ ſub plumbo & ſigillo [g].

e not. in rubr. de reſcr.
f Bald. in l. Beneficiũ. ff. de conſtit. princ.
g Octau. Veſtr. in prax. l. 1. c. 3. ad fi.

Reſcripta mixta dicũtur quæ Gratię & Iuſtitiæ participem ſimul naturã habent, quorum quædam appellantur reſcripta *in forma communi*: quædam *in forma ſpeciali*, vel *dignum arbitramur*, vel *ſecundum Apoſtolum*, [h] quia ſic hæc exordiũtur, vel *in forma pauperum*. Exẽpla ſunt ea quæ in fauorem inopis clerici † vt ei Eccleſiaſticum beneficium
6 conferatur, conceduntur, in quibus gratia exiſtit quia huic potius quam alij, id conceſſum eſt, [i] & iuſtitia inuenitur, quæ dictat vt qui altari ſeruit, ab eodẽ viuat. [k] Ideoque interdum Iuſtitiæ, interdum Gratiæ, prout fauorabiliora videntur, naturam ſortiuntur. [l] Et comprę hendunt hæ literę, mãdantes alicui prouideri de beneficio, etiam beneficia cathedralis Eccleſiæ; quamuis ſecus ſit de literis gratioſis, [m] nec vitiantur ipſo Iure per ſubreptionem [n] ſicuti reſcripta gratiæ. [o] Vitiantur vero, (quia in forma pauperum dantur,) niſi facta ſit mentio

h cap. cum ſecundum de præb. vb. Abb. & in c. poſtulaſti de reſcr.
i gl. fi. in c. relatum de præb. & gl. in c. fi. verb. libera de off ord. in 6.
k d. c. cum ſecundum.
l Fel. in c. poſtulaſti de reſcr. col. 3. Mand. reg. 10. Cancell. q. 3.
m c. quamuis de præb. in 6. Abb. & Fel. in cap. poſtulaſti, de reſcr.
n d. c. poſtul. in fi. Abb. in c. ad aures nu. 11. & 12. eo. tit.
o c. ſuper litteris de reſcr. & Abb. in d. c. ad audietiã. ij. & d. c. cęterũ.

patri-

patrimonij quod habet præcator, quòd in gratioſis neceſſarium non eſt: quibus mixtæ comparantur, quia etiam in Eccleſiaſtica dignitate non conſtitutis dirigi queunt, quod in iuſtitiæ reſcriptis nequit fieri.[p] Sed in aliquo cum eis aſſimilantur, ſcilicet quia funiculo etiam canapeo ligantur, & contra eas, non poteſt, veluti contra gratiæ literas,[q] opponi exceptio peremptoria, in vim dilatoriæ.

p c.ſtatutũ & reſcr. Fel. eo.ti. c.poſtulaſti.col.3.

q c.1.de lit.conteſt. in 6.DD.in c. cũ ordinem, de reſc.

Et cum † reſcripta omnia tam Iuſtitiæ, quam gratiæ, ſubreptione vitiẽtur, ſed non pari modo vtraque: qui hoc effugere velit, omnia quæ ad conceſsionem vel denegationem literarum conducãt, exponat. Nam in reſcriptis iuſtitiæ, quæ ſtrictius interpretãda ſunt, quam reſcripta ad beneficia, delit eiam cepta faciẽda eſt mentio,[r] (licet ſola facta eſſet citatio, quia cepta lis dicitur[ſ]) & plenè de proceſſu, ſubſtantia; & ſerie negotij, & quolibet alio reſcripto quod emanauit in cauſa, & quacunque clauſula eius inſigni[t] (leuibus prætermiſsis, quorum expreſsio nihil conducit[u]) & de excommunicatione impetrantis, quia reſcriptum aliàs validum, ſubreptitium, & ipſo iure nullum erit, dolo enim impetrantis irritatur[x]. 7

r gl. in c. ſuper literis, verb. litteras eo .ti. vb. DD. præſertim Fel.

ſ gl. in c. vt debitus vb. Dec. & alij de appell. clem. 2. vt lit. pend.

t cap. inter monaſteria de re iud. gl. & DD. in c. cæterum & cap. ſuper literis de reſcr.

u Barb. conſil. 20. lib. 3. facit. l. 1. ff. de ventre inſpic.

x Abb. in c. dilectus, n. 1. c. cæterum n. 12. c. ex tenore n. 4. de reſcr.

In litteris autem ad beneficia † exprimi debet nomen defuncti, cuius morte 8

beneficium vacat, [y] & nomen ſancti illius Eccleſiæ, quæ impetratur, (niſi ſit Cathedralis, quod exponēdum eſt; [z]) & an ſit Iuriſpatronatus, vel Ius ad rem alicui ex electione quæſitum ſit. [a] An habeat curam animarum, etiam quod cura exerceretur per alium, & an deſideret reſidentiam, quæ etſi in omnibus beneficijs de iure requiratur, [b] tamen quia conſuetudo in beneficijs ſimplicibus aliter ſe habet, non ſubticenda erit. An ſit electiuum, quia Pontifex eligendi Ius vix auferre vult: & hæc beneficia electiua non vtuntur eodem iure cæterorum beneficiorum, quæ ab vno conferri ſolent. [c] An ſit vnoculare, quia incredibile eſt, quod Pontifex ſi reſciuiſſet, ordinarium poteſtate conferendi illud vnicum beneficium priuaſſet. [d] An ſit alteri beneficio vnitum, vel annexū; hoſpitationi deſtinatum, Clericis regularibus addictum, [e] aut ſpeciali reſeruatione Summo Pontifici reſeruatum, vel affectum; [f] nam generales reſeruationes Iuris ſcripti, & regularum Cancellariæ, tanquam notæ omittuntur. An precator ſit familiaris ſummi Pontificis vel alicuius S. R. E. Cardinalis. [g] Item de lite pendēte ſuper beneficio, aut eius poſſeſſione etſi colorata, [h] & de quocunque etſi minimo beneficio præhabito, ac de valore, & qualitate, tam illius

quod

y Bebuff 3.p.ſigna.ver. alia clau.nu.2.ſtaſil.tr. de lit. gra.& iuſt.
z Fel.cap.cum acceſſiſſent de conſtit. gl.in c. quamuis ver.extendi de præb.in 6
a Gomez in reg. Cancell. de impetr. beneff. vacan.per obi. fam.Cardin.q.23.

b cap.fi.de cler. non reſiden.

c cap.cum in illis vbi gl.de præb.in 6.Fel. d. c.in noſtra nu.25.

d Clem.1.de ſent. exc. in fin. Mandoſ. reg. 3. Cancell.q.5.

e Card.& Imm. in Cle. vlt.de offic.ordin.

f Extra. ad regimen Extra execrabilis.

g ex reg.Cancell.

h Fel.in c.cæterum, & c.in noſtra de reſcr.

quod habet, quam illius quod petit [i], licèt illo priore ſpoliatus fuiſſet (quia nemo titulo, aut iure cadit ſuo, quamuis per vim fuerit deiectus, [k] Indeque merito Principes inſcribunt ſibi titulos Regnorum, quos factò amiſerunt.) Secus autem ſi vno ex beneficijs incompatibilibus de facto ſpoliatus eſſet, aut aliquod beneficium renunciaſſet, & renunciatio admiſſa fuiſſet, quia hoc facto titulus, & poſſeſſio perditur. [l] Aliter autem ſe geret, ſi admiſſa non fuit, quia ſola renunciatione, non amiſſit titulum, quamuis poſſeſſione cadat. Si vero de facto, non de iure, beneficium aliquod poſſideat, id exprimat; non propter poſſeſſionem, ſed propter crimen vis à ſe illatæ, quod ad aliud concedendum Pontificem retardare poterit. [m] De intruſione etiam vel alio illicito modo, quò beneficium quod petit, poſſidet [n], necnon de vero modo vacationis puta, an fuerit per matrimonium; alterius beneficij aſſequutionem; renunciationem, vel obitum, [o] facienda eſt mentio, aut omnino nullus exprimendus modus [p], quia ſic nullus excluditur, & reſcriptũ valet, niſi beneficium ab vno duorum collitigantium impetretur: neutro eorum in eo ius habente, vel electus confirmationem à Pontifice petat: Nam his caſibus certum vacationis modum

expo-

i Clem. 1. de præb. c. cũ teneamur de præb c. ſi motu de præb. in 6. c. ſi proponentes, de reſcr.

k Ioan. Selu. de beneff. p. 3. q. 10. n. 1. Car. clem. 2. de off. ord. q. 11. Abb. in c. in noſtra n. 10 de reſcr. vb. Butr. & Felin.

l Selu. vb. ſupra q. 12. nu 50. Fel. d. c. in noſtra nu. 19.

m gl. in c. eum qui verſ. obtinebat de præb. in 6. Selu. vb. ſup q. 11. nu. 5. Corra ſ. p. 4. c. 4. nu. 4.

n Abb. in c. præterea de iure patr. Fel in c. in noſtra nu. 10. cum ſeqq.

o cap. ſuſceptum de reſcr. in 6.

p Io. And Gemi. & alij in d. c. ſuſceptum. Fel. d. c. in noſtra n. 37. Rebuf. in prax. ti. requiſita ad collation. n. 48. & ſeq.

exponere licet. [q]

Prædictis adiungitur,† quod cum cognitio cauſæ, neceſſaria ſit, reſcriptum cognitionem prohibens, quia iuri diſſonum, falſum ſuſpicabitur. [r] Indeq; Iudex non tenetur mãdatum Summi Põtificis iniuſtum exequi, [ſ] ſicuti reſcriptum emanatum contra Ius, tanquam ſuſpectum, non eſt obſeruandum, [t] niſi dicatur non obſtante tali iure; [u] mentionem faciens de iure quod prohibet huiuſmodi reſcriptum fieri. Debent † enim reſcripta habere clauſulam derogatoriam, ad eius contrariam, ſaltem in genere. [x] Ac etiam interpretari, & reduci debent, ad terminos Iuris communis, quantum poſſibile ſit. [y] Vnde reſcriptum remouens appellationem, vel exceptionem, intelligitur de iniuſta non de valida. [z] Et reſcriptum conferens non obſtante colatione alteri facta, non cenſetur validam colationem, ſed inualidam tollere. [a] Et mandans aliquem anteferri, non iudicatur, præferre etiam his, quibus Ius in re ſit quæſitum. [b] Et ſi continet plures gratias, ſubreptio in vna, non vitiat reliquas [c]. Et licet dicatur ſubreptitium, poteſt tamen allegari in fauorem aduerſarij, in quantum in eo narrantur aliqua in ſuum fauorem: [d] nam qui reſcriptum producit vel præſentat, videtur in

eo

q Gioſ.c.innotuit. ver. decreto, & elect. Fel.vb. ſup. Selu.vb. ſup. q. 12 n. 72 Rot.deciſ.24. de reſcr. in nou.

9

r c.2. de reſcrip.

ſ cap. ad hæc eo. ti.

t Abb.in c.ex parte tua de capell. monach. n.2.

u idem in c. paſtoralis nu.4. de fide inſtru.

10

x Abb. in d. c. ex parte tua. de capell. monach.

y c. cauſam quæ c. ſuper literis de reſcr.

z c. ex parte 11. de off. deleg. Fel.in c. cauſam quæ hoc tit.

a idem Fel.in c. poſtulaſti hoc tit.

b Fel. in d. c. cauſam quæ, verſ. clauſula ante ferri. nu.26 & in cap. capitulum, n.6. verſ. prima concluſio, & regul. Cancell. 16.

c Abb. in c. cæterum de reſcr. nu.7. & in cap. ad diſſoluendum de deſponſat. impub. nu.6.

d Abb. in c. cum venerabilis de except. n.37.

eo contenta cõfiteri[e]. Item notandum venit, quod reſcriptum ad lites, vel beneficia, non extenditur ad futura[f]: nec reſcriptum, quo incerti iudices dantur, vel futura negotia committũtur validum erit[g]. Et, † ſi diuerſa reſcripta ſub eadẽ data, fuerint conceſſa; facient iudicem ſuperſedere, donec conſulat reſcribentem, ſi enim, ſe mutuo reſcripta impediunt, ad Principem qui conceſſit recurrere tenebuntur[h]. Reſcriptum vero contra communem ſtilum, & Principis conſuetudinem conceſſum, de falſo erit ſuſpectum[i], & vitioſum illud quod in grammatica manifeſtum habuerit errorem[k]. Demum † reſcriptorum omniũ Pontificiorum & Ciuilium, prima communiſq; lex eſt SI ITA EST: vel, SI PRECES VERITATE NITANTVR. quæ conditio etſi non adijciatur, ſupponitur; nam in reſcriptis ſolita apponi, pro appoſitis habentur[l]; niſi enim preces veritate nitantur, illis non eſt parendum: Vnde Imperator[m] conſtituit clauſulam adijciendam, alioquin reſcriptum reſpuendum.

De dictionibus autem, ex ſtylo conciſsè, vel extensè, ſcribendis, (conciſsè vt nomina Ciuitatum Diæceſum, Menſium, Iduum, Epiſcopus, Vicarius & ſimilia. Extensè vt numeri omnes, excepta Pontificij nominis iteratione, vt *Paulus*

e Abb. in c. examinata de iudi. nu. 4.
f idem in c non iniuſte n. 2.. de procur. & in c. quia circa. n 2. de priu.
g Idem in c. ad hæc ſumus de reſcr. n. 1. 4. & 5.

11

h idem Abb in c. 2. nu 1. de offic. deleg. & in c capitulum ſanctæ nu. 4 de reſcrip.
i cap. ad falſariorum, c quã graue de crim. fal. c. quod ſuper vb. Butr. & Abb. de fid. inſtrum. Vantius de null. ex def cit. n. 79. Ioan. de Graſ. tr. de reſc. 1. p. n. 9. & 10
k Dec. c. ad audientiam de reſcript.

12

l c. 2. de reſcr. Abb. in c mandatum Apoſt. nu. 4 de reſcript.
m Leg. fin. C. de diuerſ reſcript.

V: & relatiuum *quod* & alia, plurimum conducentia, ſine quibus, reſcriptũ non vacabit ſuſpitione falſi) videantur Doctores ad marginem citati [n], quia cum frequenter ſtylus varietur, vt Mãdoſius ait, nemo in eo fundari poteſt, ſed declaratio Summi Pontif. pro tunc exiſtentis circa hoc ſequenda erit.

13 Reſcripta quæ valida ſunt † quatuor modis tolluntur vel extinguntur, videlicet *Tempore*, *Alio contrario poſteriore reſcripto*, *Renũtiatione*, & *Morte*. Quamuis enim reſcriptum regulariter nõ tollatur TEMPORE, hoc eſt lapſu anni, ſed perpetuum ſit [o]; ſi quis habita Iudicum copia per annum, dolo vel negligentia eo non fuerit vſus, & alio poſteriore reſcripto (nulla etiam in hoc de priore mentione facta) cõueniatur, nequire in poſterum illo priore vti, ſtatutum eſt [p], nam reſcripto abutentes priuantur commodo ipſius. [q] Ac etiã quod ſi per ſpatium ſemeſtris, poſt Ponti ficis conceſſoris mortem, & ſucceſſoris coronationem non fuiſſent expeditæ, plumboq; ſignatæ bullæ, precatori deinceps non expediantur: quod ſemper procederet, quãuis quoddam ius ad rem quęſitum videretur, ni Romanorum Pontificum liberalitas, Gratiæ, & Iuſtitiæ literas à prædeceſſoribus conceſſas, reualidaret [r].

PER

n Hieron. Paul. in pract. cancell. ad princ. Pauin. de reſcrip. 1. p. q 9. n. 57. Ioan. de Graſſis & Spec. in tr. de reſcr. Quint Mãdoſ. in formul. commiſſ. Rebuff. & Veſtr. in prax.

o L. falſo vbi Bal. C. de diuer. reſc. Abb. in c. plerumque hoc tit. n. 3. Fel. in c. 3. hoc tit. col. 6. ad fi. Mandoſ. in reg. 10. cãcel. q. 2. Vantius de nullisen. ex defect. iud. dele. num. 101.

p In regul. cancell.

q Abb. in c. quia nonnulli. & c. ſi autem num. 1. de reſcrip.

r Rebuff. in prax. 2. p. tit. de grat. rationi cõgruit. Stafileus in tit. quibus mod. lit. ad benef. expir. nu. 1. & ſeq.

PER MORTEM trifatiam extinguitur reſcriptum, videlicet *morte concedentis*, vel *impetrantis*, vel *tertij*, contra quem impetratum eſt.

Morte concedentis, ipſo iure, omnia reſcripta etiam gratię, ad certum beneficium data; expirant [s]; exceptis illis gratioſis quibus neceſſaria eſſet cauſæ cognitio [t], & excepta Pontificum ſucceſſorum vt diximus reualidatione.

Morte impetrantis fit reſcripti extinctio, quande res adhuc eſt integra; ideſt lis nondum incepta; & reſcriptum non extenditur ad alias perſonas: nec à natura negocij ſuper quo impetratũ fuit, extendi valet [u]: quia reſcripta per ſe, non extenduntur ad perſonas non expreſſas, niſi ex diſpoſitione iuris, perſonæ non expreſſæ, comprehendantur [x]; nec poſſunt alijs cedi, quia perſonalia ſunt; nec reſcripta tam ad lites, quam ad beneficia, ex communi ſtylo debent extendi ad futura.

Morte vero tertij, aduerſus quem impetratum fuit, extinguitur, ſi adhuc res integra ſit, quia defunctus citatus non fuerit: non quidem tranſit tunc reſcriptnm ad ſucceſſorem defuncti. Secus vero ſi citatus abiret, vel ſi impetratum eſſet reſcriptum, contra dignitatem, vel ſucceſſor in vitium defuncti ſuccedat, aut ſit is in quem mutandi iudicij cau-

s c.ſi.§.officium de off. deleg.in 6.c. relatum c. gratum, c. licet de offic. deleg.

t Quintil. Mandoſ. in reg. 10.cancell.q.5.n.5. Per tex.in c.ſi ſuper gratia, de off.del.in 6. Rot. dec.285.& 349. in nou. Calder. conſ.vlt. de off. deleg. Rebuff. prax. de reſcr.grat.& iuſt. n.36.

u Gloſſ.& Calder. in c. ſignificauit de reſcript. Ioan.And.in c. qui Ius, de reg.iur.in merc.

x Abb.in c. Michael. n. 5.de vſur.

y c. 1. de alien. iud. mu tan. cauſa fact.

z Steph. Aufrerius ad deciſ. Tholoſan. 230.

a Inno. & Abb. in c. paſtoralis hoc tit. Fel. in rub. & in c. cæterum, nu. 12. eod. tit.

b But. & Abb. in cap. ex conqueſtione de reſtit. ſpol. Rom. conſ. 343.

c Hoſt. Abb. & But. in d. c. ex conqueſtione.

d Fel. & alij DD. vb. ſu.

e Abb. c. 1. de reſcr. nu. 3. & 10.

f c. poſtulaſti de reſcr. c. ſi pauper de præb. in 6

g Clem. gratiæ de reſc.

ſa, facta ſit alienatio [y]; vel vniuerſalis ſucceſſor ſit, ideſt vniuerſi Iuris. Nam tunc tenebitur eodem reſcripto, quo tenebatur is, in cuius locum ſucceſſit [z].

RENVNTIATIONE expirat etiam reſcriptũ, ideſt rei, vel iuris, ſpontanea refutatione: negando, eo reſcripto ſe vti velle. Poteſt enim reſcriptum ad priuatam vtilitatem, renuntiari etiã inuita parte; & quamuis conceſſum fuiſſet motu proprio [a], ſed tenebitur ad reſarciendum ſumptus ab aduerſario ratione reſcripti factos. Nequibit tamen renuntiatio fieri, ſi citato aduerſario, præſentatum fuiſſet iam iudici reſcriptum [b]; aut ſi præter inſtantiam cauſæ, alteri fuiſſet Ius quæſitum [c]; vel ſi id reſcriptum publicam concernat vtilitatẽ. Poterit vero renũtiare reſcripto, etiam in prædictis caſibus, is cui alius ſine eius mandato reſcriptum impetrauit [d].

Tollitur etiam reſcriptum, ALIO RESCRIPTO POSTERIORE magis ſpeciale, quod deroget generali, prius impetrato, licèt de generali non fiat mentio in ſpeciali [e]. Si autem fuerit gratiæ, ceſſabit, ceſſante cauſa propter quam conceſſum fuit [f], aut ſi interim aſſequitur aliud beneficium incompatibile [g], & alijs modis à Staſileo, & præcitatis Doctoribus collectis. Quos, ſtudioſus lector, ſi formas, ſubſtantiam, &

vim reſcriptorũ *ſi neutri; ſi alteri; ſi nulli*; *perinde valere*, ac cæterorum; quibus perſonis, & in quibus caſibus proſint vel non: An attendatur in ipſis, tempus, impetrationis, aut præſentationis; quando ceſſent; quomodo vitientur; quas clauſulas requirant; quomodo corrigantur, & reliqua huius materiæ diſſusè tractata deſiderat, conſulere poterit.

Nũc vero obiter noter † quod reſcrip 14
ta, alia *in forma breuis*, alia in *forma Bullæ* dantur.

BREVES, & BREVIA, paſſim in iuribus reperiuntur [h], compendiariam ſcripturam, vel commentariolos ſummam rerum continẽtes, vt Budeus adnotat [i], ſignificantia. Vnde quia breues ſunt, breuium nomen ſortiũtur *illæ epiſtolæ vel literæ Apoſtolicæ* [k], *à Romana Curia profectæ, piſcatoris anulo, ceræ rubeæ impreſſo, munitæ*; & eiuſdem Curiæ officiales qui reſcripta ſcribunt, & dictant, breuiatores nuncupantur. Horum ſcribendorum Breuium, (quæ quandoq; in Cancellaria, quandoq; in Pænitentiaria [l], & minoribus ſumptibus quam bullæ; quia non tot requirunt cautiones, & manuum poſitiones [m], expediuntur) diuerſus eſt modus †. Aliquando enim
ſupplicatione eis inſerta ſcribuntur, & 15
clauſa dantur. Aliquando vero non incluſa ſupplicatione, & nonnunquã aper-

h leg. inter. 5. C. de conuen. fiſco debit. lib. 10. l. excellentia. C. de erog mil. ann. l. 1. C. de exact. trib. lib. 10.

i Bud. ad tit. de off. pręfec. prætorio.

k Gomez. de breuib. nu. 5. Fel. in R. de reſcrip.

l Rebuff. tit. de breuib. in pra. nu. 16.

m Fel. in c. ad audientiam. j. verſ. non ſic de reſcrip.

ta, interdum etiam obtruſa traduntur. Quæ per breue expediri ſolent, ſunt [n], licentiæ accipiendi Doctoratum priuatim in Vrbe: teſtandi de bonis intuitu Eccleſiæ quæſitis, & alienãdi res Eccleſiæ vſq; ad certam ſummam; faciendiq; ad ſacros ordines ſe à quocunq; catholico Antiſtiti promoueri, non obſtante oculi deformitate; veſcendi lacticinijs & carnibus, temporibus vetitis: manendi vel commorandi extra monaſteriũ; tranſeundi ad alium; non ſumendi vel mutandi habitum, vel non faciendi profeſſionem. Item per breue datur exemptio ab ordinario: commutatio legatorum piorum: dilatio Epiſcopo ad faciendum ſe conſecrari; & cuiq; alio ad faciendum ſe ordinari; & omnes cauſæ pauperum, & quæ delegantur in partibus extra Curiam, & quæ forum animæ vel abſolutionem ſpectant.
16 Bullæ † autem ſunt [o]. *Reſcripta membranulis exarata, plumboq; funiculis appenſo, Petri, & Pauli faciebus ſculpto, obſignata, gratiam conſtitutionem aut aliam Summi Pontificis voluntatem continentia*. Frequenter quidem cõſtitutiones, appellantur *Bullæ*: Harum *materia*, ex ſignatura ſumitur. *Forma* vero & perfectio in plumbeo ſigillo conſiſtit [p], quo adepto perfectæ dicuntur, licèt nondum per Ianizeros regiſtratæ, nec in regiſtro deſcrip-

n Rebuff. in ſign. grat. Aegid. deciſ. 46. Staf. in tract. de breuib. Mando. in ſignat. grat. Gomez. in tract. de breuib.

o Rebuff. in 1. p. prax. tit. bullæ nouæ declara. & prædict. vbi ſup.

p Gl. ſuper reg. Cancel. 14. & 69. Alexan. conſ. 115. lib. 2. Nicol. Graſſ. in add. ad prax. Veſtr. in prax. lib. 1. c. 4.

tæ [q]. Cętera quæ circa hoc deſiderãtur, in præcitatis inuenientur.

Demum ſciendum † quod licèt quicquid Rom. Pontifex præcipit, tam quò ad iuſtitiam, quam ad beneficia, *Mandatum Apoſtolicum* dicatur [r]; frequẽtius tamen *pro Mandatis ad prouidẽdum alicui de beneficio* accipitur [ſ]. Quorum ſeptem aſſignantur formæ. 17

Prima, generalis, de certo beneficio, pro certa perſona.

Secũda, de certo beneficio, pro incerta perſona; executori electione cõmiſſa.

Tertia, pro incerta perſona, ad incertum beneficium, & ſi ordinario committitur, largè interpretatur, ac *litera facultatis* dicitur.

Quarta, ob negligentiam ordinarij in prouidendo datur.

Quinta, ſub conditione expeditur, vt *ſi acceſſerit Epiſcopi, & capituli conſenſus* aliave ſimili.

Sexta, dirigitur executori ad conferendum Canonicatum, & præbendam quamprimum vacarit.

Septima, ad compellendum cenſuris executores vt prouideant.

De quibus omnibus & *de mixto executore*, ideſt vtriuſq; formæ participe, tam ad prouidendum, quam ad compellendũ: ac *de forma ad prouidendum*, *iuxta prouiſionem legati*; aljſq; pluribus ſcitu

q Octau. Veſtr. in prax l. 1. c. 5.

r Leg. vn. C. de manda princ. c. 1. de off. deleg. c. cum dilecta. c. cum contingat de reſcr.

ſ c. mandatum cum ſeq. de reſcr. c. ſi capitulo de conceſſ. præb. in 6.

dignis, diffusè Rebuffus, Mãdoſius, Staſileus & cæteri in præcitatis locis [t], ibi videantur, quia licèt ſingula hæc, ſingula depoſcebant capitula quibus exponerentur, pro tyronibus & ſecundũ noſtri inſtituti metam hæc ſufficient, & pa
18 riter ſcire † quod ante beneficij acceptationẽ mandatum de prouidendo neq; tribuit Ius in re, neq; ad rem: ſequuta vero acceptatione adquiritur Ius ad rem, & efficitur quod nequeat deinceps præſumi, quod Rom. Pontifex illi derogare voluerit.

t Et in tit. de Mand. de prouid. ac DD. in tit. de reſcriptis de præb. & de conceſſ. præb. in 6. & totis tit. de off. deleg.

De Priuilegijs.

SECTIO XVII.

SVMMARIVM.

1 *Cur ſeparatim agatur de Priuilegijs, vnde dicantur, & quid ſint.*
2 *Verus diffinitionis intellectus, aliaq; adducitur.*
3 *Priuilegia an derogent conſuetudini, & an reſtringenda, vel extendenda ſint.*
4 *Diuiſio eorum in generalia, & ſpecialia; & in perſonalia & realia.*
5 *De Priuilegijs perſonæ, & rei, vel loci.*
6 *De eorum interpretatione, & quæ præferantur.*
7 *Nonnulla alia de priuilegijs traduntur.*
8 *Quibus modis finiantur, aut amittantur.*
9 *De Tempore; Non vſu: & Renuntiatione.*
10 *De Enormi læſione: Delicto: & Ingratitudine.*
11 *De cauſæ ceſſatione, & effectus conſummatione.*
12 *De reuocatione: & contrario priuilegio poſteriore.*

1 DE *Priuilegÿs*, † hic ſeparatim agere conſtituimus, eo quod propriè ſub *reſcriptorum* vocabulo non comprehenduntur, cum reſcripta non tollant priuilegium, nec auferantur vt ipſum per non vſum, [a] & facilius præſumatur falſitas in priuilegio, quã in reſcripto [b]. *Priuilegium*, quaſi *lex priuata, & non communis* [c] dictum, quod ſericeo ligatur filo [d], & poteſt, ac ſolet appellari conſtitutio, & ſcriptura non indiget, quia ſi amittitur, & de eius amiſſione & tenore conſtet, per teſtes probari valet, [e] nihil aliud eſt quã [f] *ſingulare aut priuatum Ius, vniuerſitati aut perſonæ, contra Iuris generalis terminos conceſſum*.

2 Pro cuius diffinitionis intellectu † ſeſe in primis aduertendum offert, quod vera & iuſta priuilegia, non priuant legem vt Accurſius exiſtimat, ſed potius ſupplent illud, ad quod communis lex, ſalua Iuſtitia & æquitate, extendi non valebat. Exempli gratia, *Pacta fore ſeruanda* & *Promiſſa adimplenda*, commune Ius eſt. [g] Cum autem fæminæ & pueri propter naturalem imbecillitatem, facilè decipi poſſint; alia ſpeciali lege veniunt eximendi; quia iniuſtum erat, æqualiter ſub communi lege, cum viris prouectæ ætatis comprehẽdi, qui ab eis longè inæquales erant capacitate & iudicio: ſicq; ſpeciali lege, *Priuilegium* ſeù

Ius

a Abb. in c. 1. nu. 6. & c. plerunq; nu. 4. de reſcri.
b Idem in c. ex literi. nu. 2. de fid. inſtrum.
c cap. priuilegia. 3. diſt.
d Rebuff. in prax. tit. de priuil.
e Abb. in c. cum olim. j. num. 1. de priuil. Bero. R. de conſt. nu. 83.
f Cap. fin. 25. q. 1. l. Ius ſingulare ff. de leg.
g l. 1. ff. de pact. Inſti. de fideiuſſ.

Ius ſingulare nuncupata, eximuntur [h]. Quod priuilegium non cum iure naturę, vel vtilitate publica pugnat, quinimmo ipſam ſequitur: Aliàs tanquam naturali æquitati contrarium, eſſet reſpuendũ iuxta verba legis [i] præcipiẽtis, reſcripta contra Ius elicita ab omnibus Iudicibus refutari. Siquidem ea quæ contra leges fiunt, pro infectis habẽda ſunt. Quocirca in priuilegiorum conceſſione, quæ ſemper propter vtilitatem fieri debet, attendenda eſt, nedum illius cui cõceditur vtilitas, ſed etiam quæ inde in publicum reſultat. In quo veraci ſenſu intelligendi ſunt Iuriſcõſulti. [k] Ideoque melius diffinietur priuilegium *eſſe ſingulare Ius, aut Principis beneficium, aliquos propter rationem naturalis æquitatis à iure communi eximens*.

3 Vnde ſequitur † priuilegia ſemper fore intelligenda, vt aliquid iuri communi addant, vel detrahant, [l] nam Princeps priuilegium concedens, hoc velle iudicatur: non tamen intelligitur derogare cõſuetudini loci, niſi in eo, de ea fiat expreſſa mentio, quia in dubio ipſam abrogare haud creditur [m]. Ideoque licèt latiſſimè interpretentur Principis priuilegia ſeu beneficia (eſt enim beneficium nomen generale, ſed ſtrictè ſumitur vt hic pro gratia conceſſa à Principe prætèr Ius) quatenus patitur ſignificatio,

& pro-

h De quo in tit. ad S.C. Velleia. c. ſicut dignum de homic.

i l. 22. C. de rei vendic.

k Leg. Ius ſingulare. ff. de leg. & l. vlt. C. ſi contra Ius vel vtilit. publ.

l c. ſi Papa de priuil. in 6. Innoc. & alij in c. 1. de reſcrip. Abb. c. in his nu. 2. de priuil.

m Abb. in c. licet vobis nu. 7. de præb.

& proprietas verborum, & ad cauſam non expreſſam, ex mente priuilegiantis extendantur; [n] oportet tamen anguſtè quantum fieri poſſit priuilegia interpretari, [o] vt quam minima generalis Iuris detractio reſultet, [p] dum tamen priuilegium non inane remaneat; quia non extenduntur priuilegia ex identitate rationis [q] nec ad caſus non expreſſos, niſi in quantum in Iure reperiuntur extenſa: [r] nec ad exemplum vel ad conſequentiam trahenda aut producenda ſunt [ſ]. Oportet etiam, quod abſque alterius præiudicio interpretetur; quia ſi tertij præiudicium tangit, etiam conceſſum ex cauſa pietatis, eſt ſtrictè intelligendum [t]. Si autem poteſt eſſe partim fauorabile, & partim pro tempore odioſum: in quantum odioſum, & alteri præiudicatiuum, reſtringẽdum erit. [u] Si vero nociuum ſit alteri, & de nocumento, in eo mentio non fiat, ſubreptitium dicetur. Et, ſi non exprimatur, quod res ſuper qua priuilegiũ exigitur, ab alio poſſidetur, nullum poſſeſſori præiudicium dabitur, [x] nec ſua priuandus erit poſſeſſione, etſi ſit contra Ius, quandiù agitur de priuilegij validitate; vel an fuerit cõceſſum: [y] aut acceptatũ; cũ nihil proſit cõceſſio, niſi ſequatur acceptatio [z].

His adiungitur perpendendũ † quod priuilegia vel ſunt generalia, vel ſpecia- 4

n Abb. & But. in c. olim de verb. ſign. Rebuff. in pra. de reſcr. Angel. l. fi col. fi. de conſt. Abb. in c. ſanè nu. 2. de cel. miſſ.
o c. priuilegia. d. 3. glo. in c. 1. de conſt. in 6.
p c. 1. & 2. eo. tit. vbi gl. in 6. not. in c. cum ordinem de reſcr.
q Abb. in c. canonica n. 1. de ſent. excomm.
r Idem in cap. ex literis nu. 11. de vit. & hon. cle.
ſ Leg. 14. ff. de legib.
t Abb. in cap. cum dicat nu. 3. de Eccleſ. ædif.
u Idem in c. licet vobis nu. 3. de præb.
x Abb. in c. dudum nu 1. de priuil.
y c. 1. vt lite pend. vb Abb. nu. 4.
z c. 1. de conceſſ. præb in 6. c. 2. de conſt. Bart in l. fi. vbi Iaſon de Conſtit. princ. & in l. qui abſenti ff. de acqui. poſſeſſ.

lia;

lia. *Generalia*, cõmuni corpori, collegio, aut vniuerſitati conceduntur, vt *fratribus & Eccleſiis* circa contractus, & iudicia & *mulieribus* circa fideiuſſiones. *Specialia* vero perſonæ dantur; & cum ea extinguntur.

Rurſus, omnia priuilegia ſunt aut *perſonalia*, aut *realia*, ideſt, quod intuitu *perſonæ*, *aut rei*, *vel loci*, conceduntur.
5 Quæ fuerint conceſſa *perſonæ*, † ſimul cum ipſa peribunt, & quandoque ante ipſam, ſi eis abutitur priuilegiarius, nec ad alios extendi poterunt, niſi eadem ratio in eis militet, vt in famulis, nuncijs, & his quorum incommodũ in priuilegiatum tranſit.[a] Indeq; priuilegio fori gaudent illi qui ſunt de familia Epiſcopi; & priuilegium conceſſum ſcholaribus, cenſetur etiam conceſſum eorum famulis, & cum eis habitantibus[b]. Priuilegium vero ratione *rei* vel *loci* conceſſum, perpetuum erit[c]. Si autẽ conceſſum fuerit perſonæ, reſpectu certæ rei vel loci, non ſequitur perſonam extra illam rem, vel locum, neque ad aliam extenditur[d]. Vt ſi ſacello alicuius Principis cõceſſum eſſet priuilegiũ, quòd non poſſent ab Epiſcopo excommunicari, aut ſuſpendi Canonici illius ſacelli: ſi fortaſſe dicti Canonici alijs inſeruiant Eccleſijs, ibiq; delictum commiſerint, excommunicari aut ſuſpendi

pote-

a Dec. in c. ſanè de priuil. & L. Scrinianos. C. qui teſtam. fac. poſ.

b Abb. in c. cum non ab homine nu. 2. de Iud. & in c. 1. nu. 9. de loca. & cond.

c c. priuilegia. d. 2. gl. in 16. q. 2.

d Abb. in c. cum cappella, & in c. quoniam nu. 2. de priuil. Rui. conſil. 28 nu. 2. lib. 2.

poterunt,[e] quia priuilegiati in vna capella, non ſunt priuilegiati in alia; nec priuilegium cōceſſum capellis ſuis, extenditur ad capellas poſtea acquiſitas.[f] Priuilegium autem conceſſum Canonicis, neque alijs prodeſt ipſius Eccleſiæ Clericis, nec ipſi Eccleſiæ. Si autem ſit conceſſum Clericis; Canonicis etiam illius Eccleſiæ proderit, non tamen Eccleſiæ niſi dictum fuerit[g]. Nec Eccleſiæ vel Monaſterio conceſſum, proderit Clericis, aut Monachis illius Monaſterij, aliò profectis, niſi duntaxat, quandiù ibi morantur, vel ei deſtinati ſunt, ni forte recreationis cauſa, vel alterius loci viſitandi, alibi proficiſcantur, cum tamen non ibi ſedem faciant[h]. Vnde Abbates priuilegiati, quamuis veſtes, calices, patenas, & Cruces, ſimplicibus verbis, pro vſibus Eccleſiæ ſuæ, benedicere valent; non tamen vnctione ſolemniter conſecrare: nec alijs quam ſui Monaſterij Monachis, tonſuram cōferre: nec ſolemnem exhibere benedictionem ſuper populum extra Eccleſias ſuas[i].

Nota etiam, quod licèt priuilegium non tranſit in ſucceſſorem, ſi is cui conceditur mortuus eſt tempore datæ[k], nec *perſonale* egredietur perſonam Si tamen fuerit *reale* tranſit cum re, ad quem ipſa res peruenit;[l] & priuilegium in dubio, ſemper *reale*, vt perpetuum ſit; *non*

per-

e cap. cum capella de priuil.

f Abb. vbi ſup. nu. 5.

g cap. per exemptionem de priuil. in 6.

h Gl. in c. 1. §. inter eos, verſ. reſideant, de priuil. in 6.

i c. Abbates de priuil. in 6. vbi gl. ver. Abbates; ver. ſolemnē & ver. tonſuram.

k Abb. in c. ſignificauit nu. 7. de reſcr.

l Idem in c. ex parte, nu. 5. de decim.

m c. veniens de conſtit. gl. in 16. q. 2.

perſonale, interpretatur [m]. Et quando † 6 de priuilegij interpretatione ſit principalis quęſtio, ad Principem qui conceſſit ſpectat interpretatio, [n] niſi ea incidenter veniat, nam poterit etiã ab alio interpretari, vt ſi de eius ſubreptione, ac falſitate agatur: quia ſi deuiat à communi priuilegiorum ſtilo, de falſo preſumitur, & executioni non mandatur, niſi Princeps ſecundo reſcribat, [o] & ſic ſolus Pontifex Max. ſua interpretatur priuilegia dubia; ſolusq; cognoſcit de priuilegio ſibi ab alio conceſſo [p]. Et licèt in priuilegij cõceſſione nõ citetur pars, ſemel conceſſum reuocari nequit, ſine citatione illorum quorum intereſt, nec iudicialiter interpretari [q] nec debet lite pendente ſuper illa cauſa priuilegium concedi [r].

n Bal. in l. cum de nouo C. de ll. Fel. in c. cum venissent. j. not. de iud.

o Abb. in c. ex parte n. 4. de reſcr. Fel. vbi ſup.

p Abb. vbi ſup. & in d. c. cum veniſſent.

q Dec. & Fel. in d. c. cũ veniſſent Abb. in c. cum olim nu. 3. de priu. Imm. li. 1. com. opin. concl. 43.

r Abb. in c. ſi. nu. 7. de iura. calu.

Præfertur etiam priuilegium potentiores clauſulas habens; & quod ſpontè conceditur, eo precibus acquiſito; & priuilegium permittens, priuilegio vetanti [ſ]: & priuilegium damni euitandi, priuilegio lucri affectati, quando hæc inter ſe pugnare accidat [t].

ſ l. ſi Ruffinus. C. de teſt. mil.

t Bal. in Auth. præterea C. de Sacroſ. Eccl.

7 Extenduntur priuilegia † Eccleſijs conceſſa, etiam ad non conſecratas, & ad hoſpitalia. [u] Quando autem eximũt ab oneribus ſoluendis, intelligitur de futuris. Sed ſi eximit ab oneribus pręteritis; non intelligitur deſolutis. [x] Si

u Abb. in c. Eccleſiæ n. 4. & 6. de immun. Eccl.

x Gem. conſil. 19. lib. 5.

vero

vero alicui religioſo loco conceſſum fuerit, de non ſoluendis decimis, non extenditur ad decimas prædiorum de nouo acquiſitorum, ex quibus antea decimæ ſoluebantur. [y] Nec priuilegium innouatum tribuit nouum ius, ſed antiquum conſeruat, adeò quod ſi primum, non erat validum, nec ſecundum innouatum valet, ſicque priuilegia alicuius actus confirmatoria non valent, ſi actus ille confirmatus erat nullus. [z] Nec priuilegium tollit ſpecialem conuentionẽ initam inter partes, niſi de ea fiat ſpecialis mentio, non quidem tollitur vnũ priuilegium alio, etiam ſuper eadem re impetrato, niſi ſit clauſula derogatoria. [a] Priuilegium vero in corpore Iuris clauſum, caſus comprahendit ſimiles, non per viam extenſiuam, ſed ex tacita voluntate concedentis, quod in alijs non procedit priuilegijs. [b] Sed illud quod *motu proprio*, aut *ex certa ſcientia* conceditur, idem operatur, ac ſi dixiſſet *non obſtantibus, &c.* [c] Eſt etiam ſciendum, quod aliqui, licèt exempti ſint (quorum exemptorum, ſummus Pontifex vel eius Legatus, eſt ordinarius [d]) non proinde in locis exemptis, ſine Pontificis licentia; neque in non exemptis, ſine licentia illius ordinarij, capellas erigere valent. Sed cum priuilegij qualitas cognoſcatur ex tenore

ipſius;

y Abb.in c.nuper nu.1. & 4.de decim.

z Idẽ Abb.in c. ex par. nu.1. & 4.de priu. & in c.cũ inter n.19.de re iu.

a c.ex multiplici de decim.vbi Abb. nu.5.& in c.olim.ij.n.17. de priu.

b c.ſi.de iuram. cal.vbi Abb. nu.8.

c Abb.in c.ſi. num.4.vt lit.pend.

d c.auctoritate.de priu. in 6.vbi gloſſ.in ver.Apoſtolica.

ipſius, [e] (nam illud oſtendere tenetur, qui illud allegat, vt ſibi credatur.[f]) & verba quibus exemptio datur contineantur, *diſertè in cap. ſi Papa, de priuil. in 6. vbi DD.* Qui hæc pleniori ſtylo expoſita deſiderat, ipſos conſulat: nunc quomodo priuilegia extinguantur exponamus.

8 Varijs modis finiuntur, † aut amittũtur priuilegia, videlicet: *Tempore*; *Non vſu*; *Renunciatione*; *Enormi læſione*; *Delicto*; *Ingratitudine*; *Cauſæ ceſſatione*; *Effectus conſumatione*; *Reuocatione concedentis*; & *Contrario priuilegio poſteriore*.

9 I. Finitur *Tempore* † ſi tempus limitatum habet, [g] hoc eſt, ſi ad certum tẽpus conceſſum fuerit; nam tunc ſtandũ erit tempori determinato, cum quo finietur.

II. Amittitur *Non vſu*, vt ſi conceſſum fuit Vniuerſitati, vel priuatæ perſonæ ad aliquid faciendum, vt ad optandum in Eccleſia ſua, vel creandum Doctores, Notarios, & ſimilia, & per ſpacium decem annorum, eo non fuerit vſus (ſed in hoc non comprehenditur Eccleſia [h]) cum ſe occaſio vtendi obtulerit. [i] Excipe tamen ſi caſus nunquam eueniſſet, vt eo vti opus eſſet; vel ſi nequiuerit, quia impeditus fuerit: Vel ſi relinquitur ad arbitrium priuilegiati,

quan-

e c.porrò, c.accepimus de verb.ſignif.
f Abb.in c.porrò nu.1. de priuil.

g L.quoties, C.de prec. Imper. offer. Tiraq. de retra conuent. §.1. Abb. in c.cum acceſſiſſent, de conſtit.nu.6.

h Abb.& alij. d.c. cum acceſſiſſent. Boſſ.in pra. tit.de princ.nu.319.
i L.1. vbi Bartol. ff. de nund.& in l.fin.ff. de conſtit.prin.

quando voluerit, vel ei placuerit eo vti, nam tunc nec centum annorum ſpacio amittitur.[k] Si autem priuilegiatus fuerit de aliquid non faciendo, ſi illud poſtea fecerit, priuilegium amittit.[l]

III. *Renunciatione* amittitur, quod fieri poteſt *Expreſſe*, vel *Tacitè*: Expreſſe: ipſum priuilegium repudiando, vel non acceptando. *Tacitè* vero tribus modis, nempe ex priuilegij *abuſu*; *ex non vſu*: *& ex contrario vſu*: De abuſu, & non vſu ex ſupradictis conſtat: Ex contrario vſu ſi actus directè, & veluti è diametro contrarius ſit, quod priuilegio repugnet, vt qui ſoluit ſpontè onera, vel decimas, non poſtea permittetur ei, illo immunitatis priuilegio vti.[m] Atque ſi patitur ſe deſcribi in onerum libro, & intra decem dies non appellat[n], priuilegium repudiare videtur; quoad illam ſpeciem onerum; non quoad alia; quia actus contrarius non tollit priuilegium niſi quoad ſimiles actus.[o] Sed notandum, vnico duntaxat actu contrario tolli priuilegium, ſtatuto, conceſſione, & diplomate conceſſum;[p] non vero illud quod paulatim, ideſt conſuetudine introductum fuerit, quia nihil tam naturale, quam vnumquodq; diſſolui eo genere quo ligatum eſt[q]. Nec ſi in actu ſucceſſiuo temporis conſiſtat, tollitur vnico actu contrario, præſertim, ſi actus

k l. vnus ex ſocijs §. ſi cum l. ſeq. ff. de ſeruit ruſt. præd. DD. in c. ſi. d conſuet. in 6.

l Abb. in c. ſi de terra nu. 1. de priuil.

m Bart. in l. 2. C. de hi qui ſpon. pu. mu. li. 12.

n l 1. §. ſi quis tutor. ſ quã appell. ſit. vbi Ang Fel. in d c. cum acceſſiſ ſent. nu. 28.

o Bart. in l. 2. §. ſi. ff. d decur. Fel. vb. ſup. n. 1;

p Inno. in c. accedenti bus de priu. & Felin. vb ſupra.

q ff. de reg. Iur. l. nihil & ff quand. lic. ab emp diſc. l. 1.

ille non ſortitus fuerit executionem [r]. Nec tollitur quando reſultat præiudicium concedenti, ſi auferatur, vt actus illius qui cum exemptioni præiudicare nequeat, ſe alteri ſubijcit. [ſ] Nec Eccleſiaſtica perſona per quemcunque actum præiudicat priuilegio Eccleſiæ ſuæ; ſed inſuper 40.annorum curſus requiritur,[t] niſi de modico præiudicio agatur, vel reditus fiat ad Ius commune [u]. Nec priuilegio introducto in fauorem duorum, poteſt vnus inuito alio renunciare[x]. Vbi obſerua quod priuilegium non tollitur, ſi in actu contrario faciendo, proteſtetur ſe nolle derogare priuilegio. Et cum nemo ſibi præiudicare velle præſumendum ſit, ſemper in repudiatione priuilegij, tacita, vel expreſſa, quælibet alia præſumptio, quam repudiationis, quoad fieri poſsit, accipienda eſt [y], Vnde collegium admittens aliquem ex mandato Principis, non cenſetur renuntiare ſuo priuilegio eligendi, ſed id potius in obſequium Principis, quam priuilegij repudiatione feciſſe. [z]

10 IV. *Enormi læſione*,† id eſt quando incipit enormiter lædere, vel iuri alieno præiudicare, in totum vitiatur, non tamen modificatur; [a] vt ſi ſoluendarum decimarũ immunis, omnia emerit prædia, in quibus vniuerſas Eccleſiæ illius loci decimas conſiſterent; ceſſat priui-

legium

r But.in c.paſtoralis de cau.poſſeſſ. & propr.

ſ c.2.de reſtit.in integ. c. cum olim ij de priu. Abb. in c. cum dilectus de relig.dom.

t c.accedentibus, de priu. vbi DD.

u Fel.d.c.cum acceſſiſſent. nu.30.

x Abb.in c.ad Apoſtol. nu.10. de regul.

y Bald.in l.voluntariè. C.de excuſ.tut.

z Dec.d.c. cum acceſſiſſent nu. 29. But. in c. accedente de priu.

a c. ſuggeſtum de dec. c.quanto de cenſib. l. 1. §.Trebatius. ff.de aqu. quot. & æſtiua. Roland. Val.conſil.1.n.171.li.2. Rebuff.in prax. tit.de reſcr. nu.44.

legium propter illud enorme damnum Eccleſiæ illatum: ac etiam ceſſat, cum redundat in damnum priuilegiatis incogitatum, ac ceſſare debet tempore belli, priuilegium non ſoluendi onera & tributa; ſi hoc nimis redundet in grauamen, & onus cæterorum. [b]

V. *Delicto* amittitur priuilegium, vt ſi ciuitas aliquod graue delictum commiſerit, vel ſuum occiderit Epiſcopum, ciuilitatis, & Epiſcopatus priuilegio priuabitur. [c]

VI. *Ingratitudine* commiſſa contra priuilegiantem, amittitur priuilegium, non ipſo iure, ſed ſi ille reuocarit. [d] Eſt tamen reuocationis cauſa.

VII. *Cauſæ ceſſatione*, † ſcilicet quãdo priuilegium habet in ſe cauſam tacitã, 11
vel expreſſam, qua in totum ceſſante, ceſſat priuilegium, [e] vt ſi ob paupertatem, religionem, profeſsionem, vel officium conceſſum fuerit; expirabit, non perſtante inopia, religione, profeſsione, aut officio. Si vero in totum non ceſſat, vel ex pluribus cauſis nonnullæ ſuperſint, non extinguetur. Hinc priuilegiũ conceſſum viro, dignitatis ratione, durat in vxore dum vidua permanet [f]; & conceſſum parochiæ, durat, licèt erigatur in cathedralem.

VIII. *Effectus conſũmatione* ceſſat etiã priuilegium, ideſt quando effectum ſuũ

b Rolan. Val. conſil. 76 nu. 7. lib. 2.

c c. ita nos 25. q. 2. c. in quibusdam de pen. arb l. filio. §. 1. de rit. nupt Rebuff. in prax. verſ. reſcriptum nu. 43. Fel. in c. fi. de for. comp.

d L. fi. C. de reuoc. don l. Titius puerum ff. de obſeq. lib. praſt. Rip. l. 2 c. 2. reſp. n. 10. de reſcr

e c. ſuggeſtũ de decim optime, l. generaliter C de Epiſc. & cler. l. cura §. deficientiũ, ff. de mun Rol. Val. lib. 2. conſ. 52 nu. 42.

f Alber. in l. omnis in fi C. de Epiſc. & cler. Rol Val. conſ. 86. nu. 8. li. 2.

adimpleuit; vt ſi conceſſum fuiſſet ad nominandum duas perſonas in Eccleſia; facta ſemel nominatione, licèt illæ deficerent, priuilegium perditur; niſi effectus eius extendatur ad certam metam temporis ſucceſſiui, vt priuilegiū Epiſcopi; cui conceditur ad ſua obſequia deligere poſſe aliquos canonicos,[g] diſtributiones nihilominus percepturos; quibus defunctis, alios cum velit deligere valet. Item etiam ſi conceſſum fuiſſet priuilegium *ad agendum*, tāto durabit tempore, quāto durat *actio*[h]. Si vero *ad excipiendum*, tunc eſt perpetuum[i] niſi comprӕhendatur in culpa in non excipiendo, tempore quo agitur contra eum.[k]

12 IX. *Reuocatione* † etiam finitur, ſed non poteſt reuocari ſine cauſa. Nec, ſi extraneo conceſſum ſit; niſi enormiter lædere incipiat priuilegiantem. Nec, ſi emptum vel remuneratorium fuerit, aut tranſierit in vim contractus. Tunc enim licèt Princeps abſoluta vtatur cū ſubditis poteſtate, non iudicabitur reuocatū priuilegium[l] præſertim ſi propter illud aliqui exteri, facti ſint ſubditi quamuis de ingratitudine fuerint conuicti.[m] Nec priuilegium inſertum corpori iuris, cenſetur verbis generalibus reuocatum, quia ſub generali derogatione, non creditur, quod Princeps

volue-

g Io.And.in c.ſicut, de ver.ſign. Staſi.tr.de præ rog.expect.n.63. & 66.

h l. ſi eum §. qui iniuriarū.ff. ſi quis cauti.

i l.purè.§. ſi.ff. de dol excep.

k arg. in l. Pomponius. §.rati.ff.de proc.

l Caſtr.in l. digna vox. C.de leg. Feli.c. quæ in Eccleſiar. n.30.dc cōſt. Ruin.cóſ.130.n.13.li.5. Pariſ.conſ.2.n.120.li.4.

m Bald.in l.qui ſe patri C.vnde liberi.Feli.in c. nouit de iud. Caſtr. vbi ſup.Ruin.conſ.105.num. 3.lib.5.

voluerit abrogare Ius commune [n]. Nec Principe inferior poteſt etiam cum cauſa ſuum reuocare [o] priuilegium. Sed sũmus Pontifex poteſt priuilegia, ſuper ſpiritualibus laicis conceſſa, ad libitum reuocare. [p]

X. *Contrario priuilegio poſteriore* tollitur priuilegium, dũmodo de priore mentionem faciat, alias non, ſi priuilegiato quæſitum ſit Ius in rem. Secus autem erit ſi Ius ad rem duntaxat quæſitum ſit [q]. Et facienda eſt mentio clauſulæ derogatoriæ, in priori priuilegio contentæ, vt poſteriore ſublatum dici poſsit, niſi priuilegium prius, futurorũ derogatiuum, & in corpore Iuris clauſum, ſic vulgatum & notiſſimũ ſit, quod ignorari nequiuerit [r], & præſumatur, illud non Principem latuiſſe. Et ſi clauſulæ plures ſint, vtrarunq; fiat mentio, niſi priuilegium ſecundum, in forma legis ſit datum: nam tunc tollit primum, etiam clauſulas derogatorias habentem, licèt de eis nihil in ſecundo dictum ſit [ſ].

n Fel. c. 1. de reſc. n. 11.

o Bal. in l. 2. C. de ſeru. & aq. Ruin. conſ. 229. num. 13. li. 1.

p Abb. in c. venerabilē, nu. 19. de elect.

q Gloſſ. in 25. q. 2. in fi. c. veniens de præſcr. vb. Abb. & in c. 1. de reſcr. vb. Fel. Dec. & Rip.

r Bald. l. 2. in fi. C. quæ ſit long. conſuet. Fel. in c. 1. de re iud. Boſſ. in pra. tit. de priu. n. 316.

ſ Feli. in c. accedentib. de priu.

De Conſuetudine.

SECTIO XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudo unde dicta, & quid ſit.*

2 *Iuris appellatione, an veniat conſuetudo; & an indigeat ſcriptura.*

3 *Irrationabilis conſuetudo, an valeat; & circa hoc varia exempla.*

4 *Quando praua conſuetudo excuſet à pœna temporali.*

5 *Quomodo dignoſcantur conſuetudo rationabilis, & irrationabilis.*

6 *An conſuetudo inducta contra Ius rationabile, poſſit eſſe rationabilis.*

7 *An actibus, vel animo, aut conſenſu populi, efficiatur conſuetudo; quod etiam habetur infra num.* 12.

8 *Quot actus requiruntur, vt conſuetudo inducatur.*

9 *An inducatur per non vſum, & ex actibus extraiudicialibus.*

10 *Qui & in quibus, eam introducere valent.*

11 *Cur contra canones valet conſuetudo, & non ſtatutum.*

12 *De conſuetudine priuata, & animo eam inducendi, vt ſup. num. 7.*

13 *De tempore ad inducendam conſuetudinem requiſito.*

14 *Conſuetudinis vis; quæ valet efficere, & ad quæ extendatur.*

15 *An Clerici adſtringantur conſuetudinibus laicorum, & è conuerſo.*

16 *Quomodo conſuetudo probetur, & tollatur.*

17 *Quantum obliget, ac puniendi ſint eius tranſgreſſores.*

18 *Qualiter ab ſtatuto, & præſcriptione dignoſcatur; & an vnummet poſſit eſſe præſcriptio, & conſuetudo.*

HActenus de Iure ſcripto non ſpernenda protulimus, nunc vero, de non ſcripto, quod in conſuetudine conſiſtit erit habenda ratio, ne nos ſecunda præceptorum pars lateat, ex qua etiam ſupra *Sectione. 9. de Iure Ciuili*, Iuris cognitionem petendam fore diximus.

CONSVETVDO † (quaſi *communis aſſuetudo* dicta [a]) variè per Doctores vtriuſq; Iuris diffinitur [b], ex quorũ doctrina hanc duxi conſtituendam diffinitionem. 1

CONSVETVDO *eſt Ius non ſcriptũ, rationi innixum; moribus, totius vel maioris partis populi, inſtitutum, certoq; tempore completum, quod pro lege ſuſcipitur.* Quam minutatim per membra exponemus.

IVS.

Appellatione Iuris † cõſuetudo quoq; venit cõtinenda. Vnde ſi Romanus Pontifex præcipiat, quod cauſa aliqua ſecũdũ Ius terminetur; poterit eam Iudex, ſecundum conſuetudinem terminare [c]. 2

Cõfirmatur auctoritate Iuſtiniani, & Iuris conſultorum [d], Græcorum etiam, aliorumq; diuidentium Ius in *ſcriptum* & non *ſcriptum*, & Iuris ſcripti appellatione, cõſuetudinem complectentiũ.

NON SCRIPTVM.

Quia abſq; vlla ſcriptura initiari, cõtinuari, & confirmari poteſt, cum aſſi-

a gloſſ. Inſt. de iur. nat. gent. & ciu. §. ex non ſcripto.

b Abb. & alij in R. de conſuet. Barc. & cæteri in l. de qq. ff. de leg. Az. Gofr. & Oſt. in ſummis.

c Abb. in c. cum nobis, de elect. quidquid Ioan. And. in contrariũ dicat.

d Iuſtin. §. ex nõ ſcripto. Inſt. de iur. nat. gent. & ciu. Iulia. Vlp. Hermog. & Paul. l. 32. & ſeqq. ff. de leg. vbi DD. Plato li. 8. de Repub. Ariſ. 1. Rhetor. Cic. in Partit. Bod. in Metho. Iuris vniu. & DD. in R. de conſuet.

duis populi actibus paulatim inducatur. Semelq; inducta & completa, non vitiabitur, nec nomen conſuetudinis amittet [e], licèt ab habente poteſtatem condendę legis, literis ſit exarata, vt illi iuris ſcripti, & cõſtitutionis vim cõferat; aut probationis gratia, ſcriptis mandetur, vt *feudorum cõſuetudines*, quę etſi in corpore iuris continentur; conſuetudines ſemper nuncupantur [f].

e Turrecr. & Arch. in c. conſuetudo d. 1. DD. in R. de conſtit. & c. fi. de conſuet.

f DD. in procem. Feud.

RATIONI INNIXVM,

3 Cum Ius vel lex † ratione veluti ſpiritu viuat, & conſuetudo (vt inferius dicemus) pro lege accipiatur, ratione indiget vt viuat, vim legis habeat, & obſeruari debeat. Alias vero ſi iuri naturali; diuino, aut bonis moribus aduerſetur; vel Eccleſiæ præiudicium plusquam modicũ afferat, mortua dicetur: & non conſuetudo, ſed vetuſtas erroris appellabitur [g]; proindeq; vigore carebit etiam ſi ſit iuramento firmata [h]. Si autem fortè ab initio valebat, iudicis officio annullanda, & radicitus extirpanda erit [i]. Quocirca non valet conſuetudo habilitare inhabiles lege Canonica ad contrahendum matrimonium; quamuis poſſit inhabiles à iure ciuili habilitare [k]. Nec inducere quod vxor non teneatur ſequi virum [l]. Nec quod decimæ penitus non ſoluantur. Nec quotam decimæ abſque Papæ approbatione dimi-

g c. 1. de conſuet. in 6. Clem. 1. de pœnit. & remiſſ. vbi Card. cap. 2. de prob.
h c. mala, c. conſuetudo diſt. 8. & c. quanto de iureiur.
i Abb. in c. cauſam, & c. inter vniuerſas de elect. & in c. 1. num. 1. de conſuet.
k c. quod ſuper de conſang. & affin. vbi Abb.
l Abb. in c. 1. nu. 3. de coniug. lepro.

nue-

nuere [m]. Nec tollerare, vel indicere Simoniam [n]. Nec auferre libertatẽ in eligendo [o]; appellationem tollere; aut aliquid contra ſubſtantialia actus vel appellationis diſponere. Puta, quòd non appelletur ad ſuperiorem, ſed ad inferiorem, vel ad æqualem, vt à ſententia Conſeruatoris, ad Legatum; vel à Vicario Epiſcopi, ad Epiſcopum, quia eſt ab eodem, ad ſeipſum [p].

Et ex conſequenti conſuetudo quod Pōtifici Maximo, vel Ordinario non ſit parendum; nec Epiſcopo viſitanti procuratio ſoluẽda; quod fœnerari liceat [q]; iuſta interdicti ſententia violari; & calumniæ iuramentum expreſsè remitti poſſint [r]: quod vltimo ſupplicio damnatis Sacramẽtũ denegetur [ſ]; quod ſimplex ſacerdos exerceat Pontificalia: laici vaſa ſacra contrectent [t], quod clerici coram Iudice laico conueniantur [u], vel teſtari poſſint de bonis Eccleſię, pluſquã mobilia & modica [x], inualida eſt: Eccleſiæ quidem eiusvè libertati nullatenus ex conſuetudine damnum inferri poteſt [y]. Nec introduci quod minor prę̨feratur maiori, & iunior ſeniori. Quod matres lactare & patres alere filios ſuos non teneantur [z]. Quod iuramentum, ſine cauſa, ſeu aliquid vltra plenam probationẽ exigatur [a]. Quæ omnia & quęcũq; alia per quæ quis inducitur ad pec-

can-

m c. ad Apoſt. & c. aliquibus de dec. vbi Abb.
n Idem in cap. non ſatis nu. 5. de Simo.
o c. cum terra, vb. Abb. de elect.
p Abb. in R. num. 2. de appellat.
q c. cum non liceat. c. accedentes de præſcrip. c. cum inſtantia. c. venerab. de cenſib. Bero. in c. quia in omnibus de vſ.
r c. cũ inter vos de conſuet. ca. cæterum de iuram. calumn.
ſ Clem. 1. de pœnit.
t c. ſacratas. d. 23.
u c. clerici vbi Abb. & Dec. de iudic.
x Abb. in c. cum in officijs nu. 5. de teſtam.
y c. nouerint de ſenten excomm. DD. in c. eccleſ. S. M. de conſtit.
z Oſtienſ. Io. And. Butr. & Imm. in c. 1. de maior & obed. Rebuff. de conſuet. nu 45.
a c. 2. de prob. vbi Abb & Fel.

b Abb.in c.ex parte nu. 3. de conſu.

4

c But.in c.de eo,n.2. de temp.ordi.

d Not.in d.c.mala d.8.

e Notat.in c.cum venerab.de conſuet.in c.2.de temp.ord.& in c.deniq; verſ.conſuetudine. d.4.

f Cucch.li.1.Pand.tit.de conſuet.

g gl.c.cũ venerab.verſ. cõſuetudinẽ de conſuet.

5

h Abb. in c. cum tanto, de conſuet.n.5.& ſeq.

candum vel ad ſua bona diſſipandum [b], vt irrationabilia reſpuenda ſunt. Vnde collige † quod licèt conſuetudo de licitis, facit illicita [c]: non vero è regione id quod ſui natura illicitum eſt, poteſt conſuetudine licitum fieri [d]. Attamen aliquid operatur praua cõſuetudo, quia licèt quoad Deũ à pœna gehennali non excuſat, valet tamen excuſare à pœna temporali [e]. Quod limitatum intellige, quando eius prauitas nõ eſt per ius declarata: vel ipſe actus non prima ſui facie, aut manifeſtè bonis moribus, Naturali & Diuini legi obſiſtit; ſed aliquem habet virtutis colorem, aut ſaltem minime turpem vt *fœneratio*, quæ licèt à diuino, humanoq; Iure reprobetur; quia non ſic atrox delictum iudicatur, vt corporali pœna plecti debeat, poterit per conſuetudinem à pœna temporali eximi. Si vero tale fuerit delictum, quod eius atrocitas nemini ſit incognita; non erit excuſatione dignum. Nunquam autem, vt Cucchus ait [f], nec vllo caſu, omnem pœnam adimit cõſuetudo; ſed tantum mitigat & leuat. Quod attẽtè perpendatur vt multa intelligantur, quæ contra pugnare videntur [g].

Quomodo autem † dignoſcatur conſuetudo rationalis vel irrationalis, Abbas poſt Oſtienſem, & Ioannem Andreã reſoluit dicens [h]: quod cum conſuetudo

con-

conſiſtat in Iure,nõ tenebitur pars probare ipſius rationabilitatem, ſed Iudici competet hoc diſcernere,cuius arbitrio relinquendum erit . Qui ponderabit, vtrum finis conſuetudinis ſit bonus,vel malus: & vtrum ſit contra, vel præter ius: & an ex aliqua ratione iuſta fuerit inducta: & vtrum ius approbet ſimilem conſuetudinem,vel reprobet; quod menti tenendum commendat.

Sed ſi opponatur, † quod nulla conſuetudo iuri aut legi contraria, rationabilis eſſe poſſit, cum lex & ius rationi innitantur[i],& vna veritas nõ aduerſetur alteri: quin potius ſi vnum, *bonum* ſeu *rationabile* eſt, cõtrarium eius erit *malum* ſiuè *irrationabile* [k]: Reſpondetur, quod cõſiderata vnica ratione & vnico fine; conſuetudo contra legem rationabilem non poteſt eſſe rationabilis. Conſideratis vero diuerſis rationibus, pro temporis, loci, & perſonarum diuerſitate, rationem obtinere poſſe,eſt manifeſtum. Exempli gratia, Ius induxit vt Epiſcopus, cum Capitulo tractet negotia [l]: & ratione fundatur,quia Capitulum & Epiſcopus,vnum conficiunt corpus: firmiuſq; eſt iudicium, quod plurimorum ſententia confirmatur [m]. Poteſt tamen contrarium introduci à conſuetudine, quæ etiam eſt rationabilis, alia conſiderata ratione, videlicet,vt fa 6

i c. conſuetudo. 1.d. c erit autem lex.4.d.l.leges ſacratiſſ.C.de leg.

k c.hoſpitiolum.32.d.c intellecto de iureiur.

l c.nouit. c.quanto. de his quæ fi.à præl.

m c.prudentia. de offic deleg.

cilius expediantur negotia. Vnde duo contraria poſſunt ſimul iuncta eſſe vera diuerſis conſideratis finibus, vt nubere & non nubere [n]. Nihilominus vero conſuetudo non contraria Iuri communi; in dubio æqua & rationabilis præſumitur. Si autem cõmuni iuri aduerſetur, in dubio irrationabilis p̃ſumetur [o], Iudiciſq; arbitrio hoc diffiniendum relinquetur, cui ſtabitur an conſuetudo ſit rationabilis vel ne [p]. Et quando Baldus dixit [q], rationem minime de ſubſtantia conſuetudinis cenſeri. Intelligendum eſt, conſuetudinem valere, etſi ratio ipſius demonſtrari non poſſit: rationabiliſq; dicetur, ſi prohibitio non reperitur; quia ſatis eſt quod ratio menti comprehendatur [r].

n 27.q.1. c. nuptiarum.

o Abb. in d. c. ſi. de conſuetud. Fel. in c. ſi quando col. 8. de reſcr.

p gl. c. 1. ver. irrationabilia de conſt. in 6. Card. & Abb. in c. ſi. de conſu.

q Bald. in R. de conſtit. col. 2. Tiraq. in præf. tr. de retract. n. 73.

r Bald. conſil. 166. li. 1.

MORIBVS.

7 Ius moribus † conſtare, Ennius teſtatur dicens:

Moribus antiquis, res ſtat Romana, viriſq;

Oportet quidem, homines, tot vſus fuiſſe actibus, & tam notorijs animo introducendi conſuetudinem, vt in populi notitiam perueniſſe iudicentur, inductaq; dici poſſit: quia non actus ſed tacitus populi conſenſus ipſam efficit. Quo populi conſenſu ex coniecturis elicito, nõ plurimum de aſſiduitate vel frequentia actuũ cura habetur. Si vero caſualiter, aut temerè aliqui actus, tametſi

fre-

frequentiſſimè, celebrati ſint, non proinde introducta cenſebitur cõſuetudo [s]; quia non ſufficit probare dũtaxat actus fuiſſe geſtos, ſed in vim conſuetudinis factos. Et † cum duo actus pluralitatẽ 8 ſignificent, in dubio vertitur an ſufficiãt ad conſuetudinem inducendam? Dubitatur ſecundo, an vnus duntaxat actus ſufficiat? Tertiò, an actus negatiui ipſam inſtituere valeant? ideſt, an per non vſum inducatur?

Ad primum dicendum, quod licèt ali quãdo duobus actibus inducatur, vt cõſuetudo optandi [t], non tamen hi ſemper ſufficiunt, ſed tot requiruntur, vt ex eis conſenſus populi, ipſam inducere volentis, educatur, & pro rerũ qualitate modo plures, modo pauciores deſiderabũtur, dummodo duo ſaltem inueniãtur [u].

Ad ſecundum affirmant aliqui, vnico actu notorio conſuetudinem introduci. Quibus obijcitur [x] hoc eſſe contra vocabuli ſubſtantiam & ſignificationem, cũ *conſuetudo* dicatur à *communi aſſuetudine:* & vbi actus vnicus eſt; ceſſat frequentia, ex qua conſuetudo inducitur. Nec ex vno actu quantumcunq; notorio poſſet elici conſenſus populi, qui fortaſſe vt ſcandalum vitaret, vel per errorem, non obſtitit: & tenendum eſt cum Abbate, Butrio, & Iaſone [y] quod vnicus actus ſufficiet ſi valde notorius eſt, & habet cau-

ſ c.fi.d.1. Abb. c.fin. de conſuet. Iaſon. l. de quibus ff. de ll. n. 95.

t c.fi. de conſuetud. vbi DD. in 6.

u Abb. & But. in d. c. fi.

x Ex Bart. in l. de quibus. ff. de ll.

y Abb. & Butr. in c. fi. de conſuet. Iaſon in d. l. de qq. facit text. ſingul. in c. cum de beneficio, de præb. in 6.

ſam ſucceſſiuam, cõtinuationemq; temporis ad conſuetudinem inducendã requiſiti, vt ſi beneficium ſeculare, conferatur regulari, & per ipſum, poſſeſſione continuata tẽpore ſufficienti ad conſuetudinis inductionem obtineatur; regulare efficietur, quamuis vnica interuenerit collatio. Quod etiam, è contrario accidet, ſi regulare beneficium, fuerit ſeculari collatum, & ab ipſo debito tempore poſſeſſum. Ac etiam ſi actus ille non momento vno explicetur, ſed cauſam permanentem habeat, conſuetudinẽ efficiet vt *pontis extructio in via publica*.

Quibus exceptis caſibus, nullatenus inducitur vnico actu cõſuetudo, ſed pluribus vt legis auctoritatem habeat [z].

9 Ad tertium reſpondetur † quod conſuetudo nõ introducitur per non vſum, niſi implicitè ibi contineatur factum, vt ſi populus nunquam onera impoſuerit vel exegerit [a].

Vbi notandum quod conſuetudo etiã actibus extraiudicialibus inducitur [b] licèt contrarium ſenſerit Accurſius [c]. Nõ tamen inducitur ex ijs actibus qui ſunt meræ facultatis: vnde ſiquis molendinũ alterius, curſu centum annorũ frequentauerit; non per hoc eſt inducta conſuetudo vt ire teneatur. Excipe tamen ſi illi actus ſint in fauorem Eccleſiæ, quia

z l.1.C. quæ ſit longa cõſu. l.3.C. de ædif. priu. ibi. *frequenter ſeruata ſunt.*

a Abb. in c. cum ſit generale. n.15. de for. compet. not. in d. l. de quibus & in § ex non ſcripto. inſtit. de iur. nat.
b d. §. ex non ſcripto vbi Iaſ. in addit. Rebuff. de conſuet. n.41. Vultei. iuriſprud. Rom. li.1. c.3.
c Accur. gloſſ. in d. §. ex non ſcripto.

tunc

tunc licèt meræ facultatis, vel voluntatis, ac etiam per laicos [d] geſti fuerint, robore non carebunt.

d Abb. in c. ad Apoſtolicam n. 4. de ſimon.

TOTIVS, VEL MAIORIS PARTIS POPVLI.

Conſuetudinem † valet inducere, qui condendæ legis poteſtatem habet [e], nempe populus vniuerſus, aut maior ipſius pars. Excepta *minori parte*, ac etiam *mulieribus*, *infantibus*, *& furioſis*, qui omnes nec ad condẽdam legem valent, neque eorum vſus, & mores ſufficiunt ad inducendam conſuetudinem. 10

e Leg. de quib. ff. de leg. vbi DD. Feli. in c. ſuper his de maior. & ob.

Ex quo venit notandum quod nec ipſe populus conſuetudinem poteſt introducere, niſi illis rebus in quibus ſanciẽdi legem ſi vellet, fruitur poteſtate: Quia nequibit dici conſuetudo, quamuis longo vſu recepta, illa circa quam nullum populo competeret Ius, ſed pręſcriptio nuncupabitur [f]. Exceptis ijs in quibus iuri cõmuni non derogatur. Vel ſi actus fuerint frequentati Principe ſciente, poterit enim tunc populus introducere conſuetudinem; nedum in ijs in quibus legem condere non valebat; verumetiam legi repugnantem [g].

f Bart. conſ. 136.

Notandum ſeſe hic offert † quod aduerſus Canones non valent inferiores, (ſcilicet, viri Eccleſiaſtici) legem condere, aut ſtatutũ facere [h]: poſſunt tamen conſuetudinẽ contra Canones inducere 11

g c in iſtis. §. leges. ver. abnegare. d. 4. Beroi. in R. de conſt. num. 55. & ſeq.

h 25. q. 2. c. inſtitutionis; de maior. & obe. c. quod ſuper his.

quæ

quæ nedum ex tacito Eccleſiaſticorum conſenſu, ſed auctoritate Rom. Pontificis permittentis conſuetudinem contra Canones induci, vigorem obtinebit. Sed cum Canonicum Ius, homines in Deum dirigere præſertim intendat, & publicũ Eccleſiaſticum bonum reſpiciat; ſtatutum illi cõtrarium, ab inferioribus editum, tãquam fini æterno oppoſitum, temerarium & ambitioſum præſumitur, ac proinde inualidum eſt [i]. Tolleratur tamen contra Canones conſuetudo, ne ex eius reprobatione maius oriatur ſcãdalum, cum ex tacito conſenſu longæuiq; temporis continuatione promanarit, & non tam ambitioſa præſumatur. Ideoq; non fuit Eccleſiaſticis indultum, poſſe aduerſus Canones ſtatuere, ſicuti ſecularibus (quia Regnorum & populorum mores ſunt diuerſi) indulgetur poſſe ſtatuere leges contra Ius ciuile. Cuius finis cum ſit bonum publicum, vtilitaſq; priuatorum, valet populus fauori ſuo in hoc renuntiare, ſibiq; duntaxat præiudicare, contrariam ſanciendo legem, validam futuram; dummodo contra honeſtatem, iuraq; Principi reſeruatã, eam non ſtabilierint [k]. Non tamen eſt prætereundum, quod populus Eccleſiæ ſubditus, valet contra ius Canonicum conſuetudinem introducere in bonis prophanis vt Corneus decidit, Cur-

i Ex Fel. in d.c. quod ſuper his. Abb. in c. fin. de conſuetud.

k L. omnes populi. ff. de iuſt. & iur. & quod ibi notat Bartol.

tius & Crauetta[l] ſentiunt.

Poteſt etiam † vna familia, vel collegium cõſuetudinem introducere vt *optandi* quæ *ſpecialis & priuata* dicetur[m]: eo quod conſuetudo ſimpliciter, de *publica* intelligitur, & quæ ſeruatur in vna prouincia, *generalis* appellatur[n]. Vnde vnius familiæ conſuetudo, quamuis iuri communi repugnet, valet[o]. Ac etiam vnius tantũ perſonæ dicetur conſuetudo, in his quibus collegium, familia, Ciuitatis pars, vel priuatus, ſtatuendi poteſtatem habet. Non vero propria dicetur conſuetudo, illa, qua alicui priuato ius queritur, licet aliud ſcripſerit Cardinalis Zabarella[p], quin potius prǽſcriptio, vel quædam aſſuefactio nuncupabitur[q].

INSTITVTVM.

Quia nedum ex eo quod aliquid ſit ſæpe factum, conſuetudo inducitur: niſi inſtitutum fuerit quod illud pro conſuetudine ſeruetur, quia potius vt ſupra diximus, attenditur animus, vel intentio populi, quam actuum frequentia. Poſſet quidem eſſe, quod ex gratia vel tollerãtia, illud ſæpius permitteretur[r]. Vnde licet pluries geſtum fuerit, nihil referet, nec conſuetudinem inducet, niſi eo animo exerceatur, vt in poſterum iteretur, & ab omnibus recipiatur[ſ]. Quod etiam corroboratur, quia licet

l Corneus conſ. 155. col. penult. li. 4. Curc. iun. in 2. p. feud. col. penul. q. 2. Crauet. de antiq. temp. 4. p. ſect. tranſeo nunc. num. 7.

12

m c. fi. de conſuet. in 6.

n Abb. in c. ex tuarum. nu. 3. de auth. & vſ. pall.

o Ang. & Imm. in l. teſtamenti factio. ff. de teſtam.

p Card. Zabar. c. fin. de conſuet.

q Roch. de conſuet. nu. 379. Rolan. Val. conſil. 5 nu. 75. & ſeq. l. 1. Ruinus conſ. 34. n. 15. & 16. l. 1.

r c. Abbate de verb. ſignific. c. quia cognouimus, 10. q. 3.

ſ ff. de iti. actuq. priua. l. 1. §. Iulianus rectè. & l. fin.

innumeris vicibus, quid certo modo iudicatum fuerit nõ ideo ita in poſterum iudicandum erit [t]. Sed tamen ſecundũ conſuetudinem bene iudicatur [u].

CERTOQ; TEMPORE COMPLEVM.

13 Tres conſuetudini † aſſignat Baldus [x] ætates, ſcilicet *infantiam*, cum oritur; *Adoleſcentiam*, cum vires acquirit eundo; *virilem ætatem*, quando iam firmitate, roboreq; fruitur; quod præcipuè adipiſcitur ſi à principe approbatur, aut confirmatur, nam tunc maiorem au ctoritatem aſſequitur. Vt autem ſuum obtineat complemẽtum, nomenq; conſuetudinis acquirat, (cōtinuam vel diſcontinuam habeat cauſam) præſcripta eſſe debet. Vnde conſuetudinem allegantes, eam præſcriptam & longam appellare ſolent: quibus verbis Canones vtuntur [y]. Sed vt robore fruatur, præſcriptaq; ſit, requirit ſecundum Ius ciuile decem aunorum vſum. Si autem Iuri Canonico repugnet, vel in præiudicium Eccleſiæ tendat, non perficitur; niſi quadraginta annorum curſu præcedente [z].

Excipe tamen, ſi inducitur ſciente & patiente Pontifice Max. Nam tunc vſus decennij ſufficiet. Si autem inducatur aduerſus ea quæ ſunt Principi reſeruata; nec decem, nec ſexaginta annorum

t l.nemo. C. de ſent. & interl omn.iud.

u c. cum veniſſent, de eo qui mitt.in poſſeſſ.& c.illa.d.12.& c.placuit. d.32.

x Bald. in R. de conſ.

y c. Cumana. in fin. de elect. vbi Abb.

z c. fi. de conſuet.c.cũ de beneficijs de præb. in 6.c.de quarta de præſcr. Abb. & Innoc. in c. cum dilectus de conſuet.DD.in R.C.quæ ſit longa conſnet. & in l. de qq.ff.de ll.

curſus ſatis erit, ſed lapſus immemorialis temporis requiritur [a]. Conſuetudo vero legem interpretans, aliæq; leuis præiudicij conſuetudines, licèt non præſcriptæ non reijciendæ quinimmo obſeruandæ erunt [b]. Et licèt conſuetudo ſic ſimpliciter appelletur, vel firmata, aut præſcripta dicatur, ſemper decem annorum curſu perficitur, quop longum rempus appellari legibus conſueuit; in rebus vero Ecclaſiaſticis 40. annorum ſpatio. Poſtquam autem recepta eſt, ſi diutius manſerit, tunc inueterata, longa, longiſſima, & vetuſtiſſima ſecundum quoſdam appellatur [c], & cum Iuris conſulti vtuntur hoc termino, *receptum eſt*, conſuetudinem intelligunt [d].

Non etiam ſilentio inuoluatur, quod poſtquam quædam Iuris gloſſa [e] decem aut vndecim annumerat requiſita vt cõſuetudo induci poſſit, in fine tamen videtur à prædictis recedere, & ſolum rationabilitatẽ & curſum tẽporis exigere. Cui adhæſit ſententiæ D. Tho. [f] dicens, conſuetudinem ea de cauſa vim legis obtinere, legem abolere, & interpretari, quia quæ ſæpe fiunt ex deliberato iudicio rationis hominũ videtur prouenire.

QVOD PRO LEGE SVSCIPITVR. 14

Rationabilis & iuſtæ conſuetudinis, ſic maxima eſt poteſtas †, quod nedum

a c. ſuper quibuſdam. §. præterea de verb. ſign. Abb. Imm. & alij in c. fi. de conſuet.

b Paul Caſtr. cõſil. 347. col. 1. lib. 1. Soc. conſil. 111. lib. 1. Corneus cõſ. 188. nu. 14. lib. 4.

c L. de quibus & l. diuturna ff. de legibus. l. fi. C. de iure fiſc. leg. 1. C. quæ ſit long. conſuet. l. 1. in princ. ff. de aq. pluuit. arc.

d Vt in l. 14. ff. de iuriſ omn. iud.

e gloſſ. in c. cum tant. de conſuet.

f D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 1.

Ciuilibus, Canoniciſq; legibus æquiparari valet, cum pro lege ſuſcipiatur, & cuſtodiatur [g] ſi deficit lex, legiq; clauſulam derogatoriam non habentem, deroget [h], & ſicut præceptum, generalis Eccleſiæ conſuetudo obliget [i]; ſed interdum, vel iuri communi aliquid addit, vel ei præfertur, vt pluribus exemplis comprobatur.

Nam valet alicui dare poteſtatem tabellionatus: & efficere, vt probatio non plena, pro plena habeatur [k]. Quod ſine teſtium ſubſcriptione, inſtrumento Notarij fides adhibeatur, & quælibet ſolemnitas libelli offerendi, vel ordinis iudiciarij remittatur [l], & quod non detur libellus; non vero quod non detur aliqualis petitio ſuper qua Iudex proferat ſententiam. Quod fœmina poſſit eſſe iudex [m], & iudex acta ſua ſcribere [n]: (quãuis aliud ſit ex iure [o]) filius familias teſtamentum facere [p]: & pupillus obligari ſine auctoritate tutoris [q]. Quod aliquis ſine mandato agat in iudicio; & quod Epiſcopus poſſit diſpenſare in caſibus reſeruatis Papæ [r], Tribuit quidem iuriſdictionẽ, etiam priuato [ſ]; & priuilegio æquiparatur, (nam ex conſuetudine priuilegium poteſt induci [t].) Imitatur Ius, quia ſuccedit vbi deficit Ius; & appellatione iuris, conſuetudo quoque continetur, & ſic præcipiens Papa cau-

g l. ſi fundus. 6 ff. de uict. l. 3. §. vlt. ff. de eſtib.
h Abb. in c. 2. nu. 6. de probat.
i Idem in c. cum eſſes nu. 6. de teſtam.

k c. cum dilectus de fid. inſtrum. Abb. & Butr. in c. 2. de prob.

l Innoc. & Abb. in c. 1. de libell. oblat.

m l. cum prætor verſ. moribus. ff. de iudic.
n c. cum dilectus, de fid. inſtrum. vbi Abb.
o c. quoniam extra. de probat.
p Rebuff. de conſuetu. num. 85.
q l. more. ff. de acquir. hæred.
r c. quicumque. 11. q. 1. c. fi. de conſuet. Silueſt. verb. diſpenſatio q. 9.
ſ c. dilecti de arbitr. l. cum contingat. de for. compet. vbi Abb. l. 1. C. de mancip lib. l. viros. C. de diuerſ. offic. li. 11.
t c. ſuper quibuſdam §. præterea de ver. ſignif. c. quia. d. 63 c. conquestus, 19. q. 3.

ſam ſecundum Ius terminari; poterit legatus ſecundum conſuetudinem eam terminare [u]. Interpretatur etiam Ius [x]: præualetq; interpretationi Doctorum ſuper intellectu alicuius legis [y], & derogat iuri [z]. Et diſponens id quod commune Ius, videtur ei aliquid addere. Ac iuri communi præfertur [a] etiam in beneficiorum prouiſione [b]. Et cum conſuetudo neceſſariò debeat eſſe *secũdum legem*, vel *præter legem*, vel *contra legem*, (quãuis omnia ferè quæ moribus recipiuntur contra Ius ſunt [c]) ex his colligendus erit eius effectus, vt latè habetur apud Doctores prædictos.

Nec obſtat quod aliàs dicatur, *conſuetudinẽ, non vincere legem*; quia diuerſis modis, vt Accurſius notat [d] intelligendum eſt.

Quibus ſubiungitur, quod conſuetudo dilatari, extendiq; poteſt ad correlatiua, & ad acceſſoria, quæ ſemper ſequuntur naturam principalis; [e] & ad ea quæ ſunt, ex natura ipſius actus, vel rei, quæ conſuetudinem patitur, vel neceſſario actum antecedere debent. Ac etiam ad caſum ſub lata ſignificatione verbi, [f] aut ex communi vſu loquendi comprehenſum: Vel ſi per extenſionem occurratur fraudibus, aut abſurdum vitetur, de quibus alijſq; pluribus copioſè tractat Craueta. [g] Conſuetudo vero

u Abb. in c. cum nobis, de elect.
x l. ſi de interpretatione & ſeq. ff. de ll.
y Abb. in c. 1. num. 8. de decim.
z Abb. in c. de vxore. nu. 3. de ſepulc. & d. l. de quibus.
a l. 32. & ſeq. ff. de ll. l. 1. in princ. ff. de vſur.
b Abb. in c. cum eccleſia nu. 10. de elect.
c Vt apparet ex l. 14. ff. de iuriſd. omn. & Inſtit. de pupil. ſubſtit.
d gloſſ. Accurſ. in l. penul. C. quæ ſit longa conſuetudo.
e l. cum principalis. ff. de reg. iur. l. hæres a debitore. §. quod ſtipulator. ff. de fidciuſſ.
f l. filium habens. ff. ad Macedon.
g Aymon Graueta de antiq. temp. n. 56. & ſeq.

onerоſa non extenditur de loco ad locum neque de perſona in perſonam [h], niſi reducatur ad Ius commune.[i] Si vero Iuris communis ſanctionibus aduerſatur, ſtricte interpretabitur, & ſtrictius quam ſtatutum, aut lex municipalis.

15 Offert ſeſe hic † obiter exponendum. An conſuetudines Laicorum adſtringat Clericos. Et negatiua pars tenenda eſt, quia cum Clerici, etiam minorum ordinum, à laicis ſegregentur, ipſiſque ſint præeminentiores, nullatenus conſuetudinibus eorum, licèt honeſtę generaleſq; ſint, adſtringuntur; [k] nec quoad perſonas, nec quoad bona. Vt conſuetudo, quod conductores bonorum; poſſint certis caſibus, à conductione recedere: non comprahendit bona clericorum: quod etiam in eorum bonis patrimonialibus (quamuis ad ea clericorum priuilegia extendi non ſolent) locum habere dicitur; [l] vt conſuetudo ne bona in non ſuppoſitos tranſeant, quà Clerici non poſſunt compræhendi neque qualibet alia; licèt cauſa agatur in ſeculari foro, & principaliter tendat contra laicum, & incidenter ſequatur clerici intereſſe. Quod adeò procedit, vt neque laicis indiuiduum Ius cum clericis habentibus, nocere poteſt laicalis conſuetudo, ne in clericos cum ſeparari nequeant, intertrimentum laicorum reſultet [m].

h Abb. in c. cum inter vniuerſas. n. 5. de elect.
i Idem in c. cum inhibito nu. 2. de clandeſt. deſponſat.
k Bald. Fel. Imm. Abb. & Dec. in c. eccleſia S. M. de conſt. licèt aliud Bart. dicat in d. l. de quibus.
l Roch. in tr. de conſtit. n. 658. & 664. Abb. vbi ſup. & c. quod clericis. de for. compet.
m DD. & Roch. vb. ſup.

Ad-

Adſtringuntur vero cleri cõſuetudine cõi ſcilicet,clericorũ, & laicorũ, quare clericalis conſuetudo eſt. Ac etiam cõſuetudine Eccleſiæ fauorabili.[n] Illamq; recuſare non debent ex qua nullum ſequitur perſonis,neq: bonis eorum præiudicium. Conſuetudo etiam laicorum inducens ſolemnitatem in contractibus adhibendam, vel ſolum reſpiciens feriẽ litigandi in foro ſeculari, obſeruanda erit à clericis, cum laicis contrahentibus, vel in eo foro litigantibus. Si autem diſponit circa res laicorum, etiam à clericis ad quos peruenerint, obſeruabitur,[o] qui etiam tenebuntur ſtare conſuetudini laicorum contra ſe; ſi aliquando,ea, pro ſe vſi fuerint.[p] Quamuis laicorum conſuetudo, non proderit clericis, litigantibus contra laicos, in foro neque ſeculari,neque Eccleſiaſtico quare cum lex communis, æqualisque debeat eſſe; quòd Iuris in ſe cuſtodire recuſarunt, aduerſus alios mouere, & exequi iniuſtum foret.[q] Animaduerſione etiam eſt dignum quod Rom. Eccleſiæ conſuetudo,neque ad alias extenditur, neque neceſſario debet obſeruari, niſi quòad articulos fidei, vel niſi expreſsè obſeruari præcipiatur.[r]

16 Vltimo † leuiter attingendum reſtat, quomodo probetur conſuetudo: Quibus modis tollatur,aut minuatur:Quã-

n c.dilect.de for.compet.Roch.vbi ſup.n.678

o Abb.& alij in d.c. & clericis. de for.compet. & c.1.de conſtit. Roch. vbi ſup.n.680.

p Bald.in d.l.de quib⁹. ver.ſexto quæro,& in l. 1.in fi.C. de contrahen. empt.

q tot.tit. ff.quod quiſq iuri.DD. d.c.eccleſia S. M.de conſtit.

r Abb.in c.2. de ferijs, & c.penult.de obſer. ieiu.& c.fin.de reg.iur.

tum obliget & ſunt puniendi tranſgreſſores eius; Et qualiter ab ſtatuto, & præſcriptione dignoſcatur.

PROBARE conſuetudinem tenetur, qui ab ea auxilium petit, quæ cum ſit facti, non debet præſumi.[s] Si vero modici fuerit præiudicij, poterit Iudex à ſeipſo, vel ex officio ſuo, ſi litis ſeriem ſpectet, de conſuetudine informationē ſumere[t]. Aliàs autem citanda erit pars ad probationem; quæ ſi per teſtes fiat, indiget, quod tria probentur, ſcilicet *vſus populi*: *frequentia vſus*: & *temporis diuturnitas*.[u] Facilis vero erit probatio, ſi ſemel ſuper ea pronunciatum fuerit.

TOLLITVR conſuetudo, *lege contraria permulgata*.[x] Obſeruando, quod lex generalis, ſpecialem loci conſuetudinem non antiquat, quia ſibi ignotam iudicatur:[y] nec contrariā conſuetudinem futuram tollit, ex generali clauſula *non obſtante conſuetudine*, niſi ſimul eam iniquam iudicet, & reprobet.[z] Abrogatur etiam, *alia contraria conſuetudine*, ſicut pacta poſteriora, prioribus derogant, & leges priores, nouiſſimis abolentur:[a] quod intellige dummodo poſterior, non dubia, ſed certa præſcriptaq; ſit,[b] excepta cauſa poſſeſſorij, in qua conſuetudo etiam non præſcripta, alteram abrogare valet.[c] Si vero con-

ſ c. 1. vbi gloſſ. & DD. de conſtit. in 6.

t Butr. in c. fin. de conſuet.

u Bart. in l. 2. q. 18. C. quæ ſit long. conſue. Rebuff. tit. de conſuet. ar. 2. gl. 3. n. 20. modum probandæ conſuetudinis exponens.

x Abb. Fel. Dec. & Bero. in c. ſicut de probat.

y c. 1. vbi not. de conſt. in 6.

z But. & Abb. in d. c. fin. de conſuet.

a l. pacta nouiſſima. C. de pactis, vbi Alciat.

b gl. in l. nemo. §. temporales, de reg. iur. Iaſ. in d. l. de quibus. n. 79.

c Bald. in c. 1. col. 1. in fi. de feud. cogn. & in l. nemo de reg. iur. Ioann. in c. eccleſia de elect. Iaſon vbi ſup.

ſuetudo nondum perfecta, & completa fuerit, vnico actu contrario interrumpitur, ita vt de nouo incipere debeat; quia per actum apparet voluntas populi obſiſtentis ne inducatur conſuetudo. [d] Secus autem ſi completa erat, nam tunc antiquari oportebit, eo tempore, & modo quo inducta fuerit; quia iam lex eſt, & vt lex debet aboleri. [e] Semel vero repudiata cõſuetudo, introduci amplius non poteſt. [f] Duabus autem concurrentibus conſuetudinibus, quę æquior fuerit præualebit.

17 Et † cum conſuetudo faciat illicitum, de licito; in foro conſcientiæ ſeruanda eſt, quando intertrimentum animæ non affert; quia peccato vincitur, qui conſuetudinem bonam, & piam ſeruare neglexerit. [g] Ideoq; Iudices, ratronabilis conſuetudinis violatores, ac ſi legem ſcriptam violaſſent puniri debent, [h] quia ſicut non licet Canonicis, obuiare legi, ſine licentia Pontificis Max. ſic nec cõſuetudini. [i] De communi tamen conſenſu poſſent venire contra conſuetudinem, etiam iuratam, ſi cauſa ſubeſſet, licèt contrarium ſit in ſtatutis: [k] quæ differunt à conſuetudine, quod ipſa non tollitur per vnicum actum: at vero ſi ſtatuentes, vel eorum ſucceſſores, veniunt ſcienter contra ſtatutum, ipſum tollere videntur. Ita quod per vnicum

d arg. in l. vbi repugnã tia. ff. de reg. iur. c. ſolicitudinẽ de appel. in 6.

e Abb. in c. fi. de conſuet. nu. 19.

f gl. & Innoc. in c. 1. de conſtit. in 6. Iaſ. l. de qq. n. 80. ff. de ll. Tiraq. plura allegans in præfat. de retract.

g c. in his d. 11. Fel. c. 1. col. 9. de ſponſal.

h L. obſeruare. §. aggreſſorum ff. de off. Pro conſ. c. in his. d. 11. c. penult. vbi not. de cõſuet.

i Facit. c. Catholica, & c. eccleſiaſticarũ, d. 11.

k 15. q. 5. c. auctorit. & not. in d. c. in his d. 11.

actum contrarium ſtatuto,collegialiter factum,tollitur ipſum ſtatutum. [l] Inter † conſuetudinem vero,& præſcriptioné variæ colliguntur ex traditis à Bartolo & Iaſone,[m] differentiæ ſpeciales,duæ tamen præſtantiores,& fundamētales ſunt menti tenendæ: videlicet quod ex præſcriptione ius adquiritur ſemper priuato,licèt ex publico cauſetur: ad ipſamq; titulus requiritur: ex cōſuetudine,vero Ius, in publico adquiritur, & nullatenus alicui priuato,licet ex priuato cauſetur, & non requiritur titulus. [n] Scias denique ex Abbate, [o] quod vnummet, poteſt eſſe quandoque *præſcriptio*,reſpectu certorum, & *conſuetudo*, reſpectu aliorum,vt ſi Epiſcopus adquirit,vt ſolus poſſit corrigere ſubditos ſine conſilio capituli, quoad capitulum & Epiſcopum *eſt præſcriptio*, quia detrahitur capitulo, & adquiritur Epiſcopo, & ſic non poteſt dici conſuetudo, quia acquiritur vni. Reſpectu vero, ſubditorum, qui ſunt corrigendi per ſolum Epiſcopum,dicitur *conſuetudo*. Et idem reſpectu Epiſcopi quoad ſubditos, quia ſubditis nihil detrahitur, ſed eſt eis quædā lex vt per ſolum Epiſcopum iudicentur, Et quatenus Epiſcopus contendit contra capitulum debet habere titulum, quia *eſt præſcriptio*, in qua contra ius requiritur titulus. [p] Sed quatenus liti-

gat

l Abb.in c. cum acceſſiſſent, de conſt.n 3.Archid.in c.de forma, 22. q.5.

18

m Bart.& Iaſon.in l.de quibus ff.de leg.

n L. venditor.§. ſi conſtat. ff commun.prædio.

o Abb. in c.ſi. de conſuet.

p Vt in c.1.de præſcrip. lib.6.

gat contra ſubditos, non tenetur allegare titulum, quia contra illos *eſt conſuctudo*, in qua etiam contra ius, non requiritur *cauſa vel tituius*, loco quorũ, eſt *vſus*; nec hoc vllo cauetur iure. Imò potius videtur oppoſitum; quia in conſuetudine, quæ lex quædam eſt, voluntas duntaxat vel tacitus conſenſus inſpicitur.

De diferentia Iurium inter ſe, ac Eminentia Canonici.

SECTIO VLTIMA.

SVMMARIVM.

1 *Entia, ptincipiata, vel non principiata eſſe debere.*
2 *Sempiterni Iuris differentia à cæteris Iuribus.*
3 *A Sempiterno Iura, reliqua promanare Iura.*
4 *De Iuris Caſarei Origine.*
5 *De Origine Iuris Pontificij.*
6 *De Canonico legislatore, eiuſque incomparabili poteſtate.*
7 *De ſeculari poteſtate, & intellectu illius loci, Per me Reges regnant, &c.*
8 *An diſtingueretur poteſtas in temporalem, & ſpiritualem, ſi homines non fuiſſent in finem ſupernaturalem creati.*
9 *Differentia poteſtatum Eccleſiaſticæ, & ſecularis,*
10 *De Vi, & efficacia Eccleſiaſticæ legis.*
11 *De materia Iuris Ciuilis.*

De

12 *De magnitudine , & grauitate rerum contentarũ in Pontificio Iure .*

13 *Quinque modi exponuntur , quibus homo quinque vtitur Iuribus.*

14 *De vnico cunctorum Iurium fine.*

15 *Quomodo Ius Canonicum cæterorum Iurium fines amplectatur .*

16 *Quod ſanctius , & prudentius quam Ciuile conſtituit, varijs probatur exemplis .*

17 *Deficientibus legibus, an debeant adiri Canones, vel è contrario : & quibus obtemperandum , quando inter ſe pugnant .*

18 *Quibus Iuribus , & ſcientijs conſtet , & ornetur Ius Pontificium .*

19 *Pœna in non venerantes Canones, aut in contrarium quidquam ſtatuentes.*

20 *Quam neceſſarium , & vtile ſit Ius Canonicum .*

21 *Quam afferat delectationem , & honeſtatem contineat .*

22 *Artificioſus totius ſectionis Epilogus .*

1 CVm iuxta Philoſophicam doctrinã, omne E N S;†vel *principiatũ*, vel *nõ principiatum* eſſe debeat. Et quodcunq; principiatum , ſe ipſum principiare potuiſſe impoſſibile ſit, quia ſequeretur ipſum fuiſſe prius quam eſſet , oportet quoddam ENS dari , nec principium , habens, nec finem habiturum, & ex cõſequenti, à nullo, nec à ſeipſo, vt abſque principio & fine dici poſſit, deriuatum: à quo omnia principiata proueniant , originemq; ducant . [a] Quia omnis exiſtentia E N T I S principiati , ne detur proceſſus in infinitum , præſupponit de neceſſitate, ENS non principiatum eſſe

[a] Cic. 3. Tuſc. *Principij nulla eſt origo: Nam ex principio oriuntur omnia: Ipſum autem ex re nulla alia naſci poteſt.*

à quo

à quo reliqua proueniant, quod ſempi-
ternum nuncupabitur, cum à Deo pro-
manet, cuius incomprehenſibilis natura
& ſubſtantia ſempiterna eſt, nec princi-
pium habens, nec finẽ habitura. Ideoq;
quicquid attributorum in eo exiſtit, ſem
piternum eſſe debet. Vnde cum tot ex-
periamur dari principiata Iura, neceſſe
eſt, quod ab illo non principiato in Deo
exiſtente exordium ſumant, quod vt ſu-
pra *ſect*. 5. diximus, Sempiternum appel-
lamus. [b] Cuius à reliquis differentia † 2
ex dictis liquido conſtat. Cum abſque
principio ſit; reliqua vero principiata.
Illud Sempiternum in Deo naturæ au-
ctore exiſtat; cætera vero in homine.
Illud regulans, hæc vero regulata. Illud
immutabile, nulliq; varietati ſubiectũ,
humana vero Iura, pro variabili morta-
lium conditione, mutabilia. Hinc Na-
turale Ius, quò ad debitum actum, & fi
nem inclinantur homines, [c] promana-
re †, eorumq; mentibus inſculptum, &
per irradiationem à Sempiterno parti- 3
cipatum eſſe, Regius cecinit Propheta
dicens: [d] *Signatum eſt ſuper nos lumen
vultus tui Domine*. Hinc vetus teſta-
mentum, ac etiam hoc noſtrum nouum
Euangelicum, originem ſumpſiſſe, nemi
nem latere exiſtimo. Quæ omnia Iura,
Diuina eſſe ſatis compertum eſt. Cum
nihil aliud ſit Naturale Ius quam Sem-

piter-

b Prouerb. 8. *Quan. præparabat cælos, ad. ram.*

c D. Tho. 1. 2. q. 91. ar.

d Pſalm. 4.

piternæ legis participatio,& in creatura rationali, diuini luminis impreſſio. (Eſt enim natura, prima cauſa à qua omnes producuntur, vnde ſumma Naturæ ſignificatio, accipitur pro Deo ipſo, Creatore cæli,& terræ [e]:) & cum Moſaycum Ius,(ſic dictum quia à Moyſe promulgatum) ei à Deo traditum fuerit. Euangelicum autẽ ab ipſo Chriſto D. N. Inſtitutum. De quibus ſuperius dicta ſufficiant: non quidem de his erit nunc nobis habenda ratio, nec de Iure gentium, ne ſæpius repetita generent faſtidium, ſed tantum de Iuribus humanis poſitiuis,ſcilicet de *Pontificio*, & *Cæſareo*, quibus vniuerſa Orthoxorũ Reſpublica gubernatur, [f] & omnes humanæ actiones per pœnarum comminationem, & præmiorum exhortationẽ ad benè beatèq; viuendum diriguntur. Ideoq; quam magna ſit horum Iurium diuerſitas in origine, legiſlatoribus, poteſtate, materia,conſtituendi ſanctitate, & prudentia, fine, ſcientiarum ornatu, neceſſitate, vtilitate, delectatione,& honeſtate: quantum præſtet, & antecellat Pontificium Cæſareo, lõgèq; dignius & prætioſius ſit, & quæ proprio ſibi iure vẽdicet,breuiter percurremus.

4 Cæſareum Ius † à quibuſdam Curiatis legibus à Romulo ſancitis deinde ab illis duodecim Tabulis, demum à Ple-

e §. in pecudum Inſtit. de rerum diuiſ. & de iur.nat.gent.& ciu.

f c.duo ſunt. 96. diſt.

† Iurium Pontificij, & Cæſarei origo.

biſcitis, Senatus conſultis, Principũ placitis, Magiſtratuum edictis, & Prudentum reſponſis, originem duxiſſe cum in eo expreſſum inueniatur, & à multis ſit in ſcriptis traditum [g] neminem latere existimo. Canonicũ tam dignũ, & nobile eſſe quod nullũ aliud Ius, vetuſtiorem, præſtantioremq; originem habuiſſe conſtet, probatione non indiget, † cum ante hominis creationem fuerit executioni mandatum, quando Lucifer, ſuiq; ſequaces inani ſuperbia elati, omnipotenti Deo impudenter aduerſari non formidantes, ad ima tartara [h] ad perpetuas luendas pœnas fuere immiſſi. Ac etiam poſt mundi creationẽ quum Prothoparens propter diuini præcepti trãſgreſſionem de Paradiſo deliciarum expulſus, diuinam in ſe, poſteriſq; ſuis, in quo omnes peccauere, concitauit indignationem. Et ita in omnes homines mors pertranſijt [i], & ſub diaboli ac mortis poteſtate erant conſtituti, nullatenuſq; liberari poterant, ni omnipotens ille miſericordiarum pater filium ſuum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum propitiatorem ad homines miſiſſet, in cuius ſanguine redimerentur omnes. A quo etiam, nouam gratiæ legem, ac Sacramenra ad ſalutem neceſſaria, inſuperq; pro perfectiori ſtatu adipiſcendo conſiliorũ additionem acciperemus.

g Latè in l.2, ff. de orig. iur. & l.7. ff. de iuſt. & iur. & Inſt. de iur. nat. gent. & ciu. §.3. & ſeq. DD. in his locis. & Aymarus Riuali in hiſtor. Iuris Ciuilis.

5

h S. Greg. lib. 32. Mor. c. 24. & c. vlt. de pænit. diſt. 2. vbi gloſ. in verb. ſuperbiæ.

i Ad Rom. 5. 1. Corinth. 11. Ad Epheſ. 2.

Reli-

Reliqna vero [k], *vt Ceremonialia & Iudicialia* ipſe Chriſtus D. N. Diuo Petro, eiuſq; ſucceſſoribus, ac Eccleſiæ miniſtris inſtituenda commiſit; eis ad hoc conceſſa poteſtate. Et ſic non à Curiatis ſanctionibus, aut duodecim Tabularũ legibus, nec à Romano Senatu, Principum placitis, aut Plebiſcitis; ſed à ſanctiſſimis Patribus ex vniuerſo terrarum Orbe ad celebranda Oecumenica Concilia Spiritus ſancti ductu congregatis [l], conditum fuit Ius Canonicum, à Romanisq; Põtificibus Chriſti Vicarijs confirmatum, & adauctum [m]: Quorum doctrina Spiritu ſancto dictante, ſic ſancta & ſalutifera eſt, quod nulla alia datur ars aut via, quæ in Deum dirigat hominem, ni quam Orthoxi hi Patres edocuere; Cum ſacrarum Scripturarum & Euangeliorum libri, horum Patrum & Pontificum auctoritate atq; probatione pro veris habendi, & ab omnibus Chriſtum fatentibus ſint venerandi. Ex quibus, originis huius Iuris præſtantia liquido ſeſe offert perpẽdenda, & ex conſequenti legiſlatoris eius incomparabilis poteſtas,

6 † qui cum Petri ſucceſſor ſit & Dei vices gerat in terris, longè omnibus legiſlatoribus, & vniuerſis poteſtatibus venit præferendus. Poteſtas enim (quatenus dominiũ iuriſdictionis reſpicit) *eſt facultas* [n] *alicuius, auctoritatẽ*

& emi-

k D.Thom.1.2.à q.101. ad 102. Domin. Soto de Iuſtit.& iur.lib.2. q.3.

l cap.canones diſt.15.

m Traditur 19.20.& 21. diſt.

* De cauſa efficienti Iuris Canonici.

n Victoria in relect.de poteſt. Eccleſ. q. 1. in princ.Nauar.c.nouit.de

*& eminentiam ſuper alios habentis,ad eo-
rum regimen,& gubernationem*.
Et eſt duplex;Eccleſiaſtica,& ſecula-
ris [o]. *Eccleſiaſtica poteſtas* in noua lege
eſt à D.N.Ieſu Chr̄o,qui ceu Redēptor
ac Rex Regni cælorum,legum conditor
noſter fuit, ac ſubinde à ſucceſſore Pe-
tri,ſcilicet Pontifice Maximo, qui non
gerit Eccleſię vices,quaſi ab illa auĉto-
ritatem naĉtus , ſed quaſi Chriſti Vica-
rius, à quo duntaxat (licèt per Eccleſiā
eligatur) auĉtoritatem ſuſcepit. Secu-
lares vero Principes & Monarchæ † nō 7
à Deo immediate creati ſunt , excepto
Saule, Dauide,eiuſq; proſapia,cui ſcep-
trum ipſe commiſit,ſed à populo,Reges
omnes, & Principes creabātur [p] in quos
tranſlatum fuit imperium & popularis
poteſtas. Et ſic illud Sapientiæ [q] *Per me
Reges regnant , & conditores legum iu-
ſta decernunt*,non aliter, vt Dominicus
Soto ait [r],intelligendum eſt,quam quod
ab ipſo , tanquam Naturalis Iuris au-
ĉtore, donatum mortalibus eſt, vt vna-
quæq; Reſpublica ſeipſam regendi ha-
beat arbitrium . Ac ſubinde vbi ratio
(quæ ſpiratio eſt etiam diuini numinis)
poſtulauerit , in alium ſuam transferat
poteſtatem, cuius legibus prouidentius
gubernetur . Vbi notandum eſt,† vt ar- 8
gutè Molina aduertit [ſ] quod licèt ho-
mo creatus non eſſet in finem ſuperna-

iudic.not.3.corol.16.D. Thom.in 4.d.24.q.1.ar. 1.quæſtiun.1. ad 3. Molina de iuſt. & iur.tom. 1.tr.2.diſputat.20.

o cap.duo ſunt 96.diſt.

p Habetur Leg. quod placuit ff. de conſtit. Princip.

q Prouerb.8.

r Sot.de iuſt. & iur.q.1 lib.1.& lib.3.q.4.

ſ Ludou.Mol.vbi ſupra

turalem, ſed in naturalem duntaxat, etiam bifariã diſtingui poſſet poteſtas, quia etiam tunc homines agnoſcerent, vnum eſſe principium ſummè bonum, à quo, eſſe, & cętera bona recipiuntur, & expectantur: ac proinde dignum eſſe, quod ei famulatus, & honor exhiberetur: & ſicut arbitrãter eligunt defenſorem ad quietem obtinendam, ſic eligere poſſent pręſidem aliquem ad cultum, debitumq; famulatum Deo exhibendũ, qui in eo munere, Principi ſeculari eſſet ſuperior.
9 Sed cum homo † nedum ad finem naturalem, ideſt ciuilem amicitiam, verumetiam ad cæleſtẽ, & ſupernaturalem fœlicitatẽ, per media ſupernaturalia aſſequendum, creatus ſit, hinc ſequutum eſt quod Eccleſiaſtica poteſtas, à laica diſtingueretur; pręſertim cũ nobilitas, ac eminentia cuiusq; facultatis, ex obiecto & fine potiſſimum pẽſanda ſit. Et ſic Chriſtus Dominus noſter actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit [t], & pro quantitate exceſſus ſupernaturalis finis, Eccleſiæ præſulibus principatũ, & poteſtatẽ multò perfectiorem principatib' Imperatorũ, cõceſſit: haud enim iuſtũ erat quod cederet ſpiritus carni, à terrenis cæleſtia ſuperarentur, & diuinis pręferrẽtur humana [u]. Quo fit vt ſpirituali, & Eccleſiaſticæ poteſtati

t cap. quoniam diſt. 10.

u cap. ſuſcſpitis. diſt. 10.

reli-

rèliquæ poteſtates ſubijciantur, eadem
naturæ lege, quà perfectioribus minus
perfecta [x], ſuperioribus inferiora, domi-
no famuli, animæ corpus, & rationi ſen
ſus :· ipſiuſq; Eccleſiaſticæ legis vis &
efficacia † ſic maxima ſit, quod vincula 10
quibus Canones vtuntur, ſcilicet excom
municationes [y] ſuſpenſiones & interdi-
cta, omnibus compedibus & mundi ca-
tenis arctiora, & ſtrictiora eſſe conſtet,
quia ſpiritualia ſunt, & ſpiritualiter in
ſpiritualibus operantur; nam corpora,
ſpirituali priuant vita, animaſq; rigidè
vinciunt & excruciant. Cum ex his ap-
pareat originis præſtãtia, cauſæ efficien
tis, hoc eſt, Canonici legiſlatoris pote-
ſtas, & legis vis & efficacia, nunc de ma
teria, & finali cauſa agamus, vt diluci-
dius noſtri iuris eminẽtia demõſtretur.

Nam ſi materiam † aut qualitatem 11
rerum, quæ in vtroque tractantur Iu-
re [z], attentè circunſpicimus, exigui-
tatem materiarum Ciuilium, & magni-
tudinem incomparabilem Canonicarũ
longè præferendarum manifeſtè com-
periemus. Cum in libris digeſtorum
exilia quamplurima præ manibus ha-
beantur, vt videre eſt in particularibus
titulis de aqua quotidiana & æſtiua :
de aquæductibus: de arboribus cæden-
dis : de glande legenda : & de cloacis.
Agitur etiam de pæna irritantis ca-

x S.Chryſoſt. de Sace lib.3.Ambroſ. de digni Sacerd c.3. Gregor. d cura paſtor.par.2.c.6.

y 33.q.1.2.& 3.& 9. q 1.& 11. q. 3. & tit.de ſent.excomm.

z De Materia.

nem [a]: de ebrio in lecto vrinam facien te [b]: de ſcopis & perticis, quibus araneæ deterguntur [c]: de mulo, plus iuſto à mulione onerato [d]. Et in quæſtionem vertitur, ſi legato vino, veniat acetum, & cum amphoris debeatur [e]: Si legatis chartis veniant libri: & legatis lignis, carbones & nuclei oliuarum contineãtur [f]. In libris Codicis de venatione ferarum: de piſtoribus: de alluuionibus, paludibus, & paſcuis, alijsq; exilibus inueniuntur tituli. In Inſtitutionibus etiam de emplaſtris ex alienis medicamentis; de natura pauonum, anſerum, columbarum, & apium, de ficedulis & auiculis in alieno fundo captis, de vſu olerum; ſtercoratione agrorum: de ſiccandis retibus: & religatione funiũ arboribus: [g] Cauſæ vero de *petenda hæreditate*, quaſi maximi ponderis eſſent, centum virales, à centum virorum terminatione nuncupantur [h], His, alijsque ſimilibus parui momenti, quæ in vſu quotidiano collocata, & ante oculos poſita ſunt, plena inuenies Cæſarei Iuris volumina. Quæ, quantum à rerum
12 Canonicarum grauitate diſtent † facillimum eſt agnoſcere; Cum in Pontificio Iure, de Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramẽtis, animarum ſaluti perneceſſarijs, tam ardua, totq; mirabilia dilucidè tractentur: de cuſtodia eorum [i]: & celebratio-

a Leg. item mela. §. itẽ & ff. ad leg. Aquil.

b Leg. queritur. §. puerperã. ff. de edilit. edict.

c Leg. quæſitum. ff. de fundo inſtru.

d L. ſi ſeruus. §. ſed & mulũ. ff. ad leg. Aquil.

e Leg. 1. & 4. ff. de vino trit. & oleo leg.

f Leg. librorum. l. ligni. ff. de legat. 3.

g Inſtit. de rer. diuiſ. §. pauonum §. riparum §. littorum, & ſeqq.

h L. item veniunt §. ait Senatus. L. ſed etſi §. 1. ff. de pet. hæred.

i lib. 3. decretal. tit. 44.

ne Miſſarum:[k] de reliquijs, & veneratione Sanctorum[l] de conſecratione Eccleſiæ vel Altaris,[m] & de ſacra Epiſcoporum, Imperatorum, & Regum vnctione[n]. Quæ omnia à Ciuili Iure longè abſunt. Item de ſuprema Romani Pontificis poteſtate circa electionem, confirmationem, & depoſitionem, Imperatorum, Cardinalium, & Epiſcoporum, & de rebus quibus ſolus ipſe diſpenſat: de congregatione, & confirmatione generalium Conciliorum, de tremenda cenſurarum coertione; de vi; & efficacia voti, & iuramenti, ac de cæteris omnibus ad fælicem animarum, & corporum ſalutem, totiusq; militantis Eccleſiæ conſeruationem, & augmentũ concernentibus, Spiritu ſancto inſpirante, ſacratiſsimas ſanxit conſtitutiones, nullatenus cum ciuilibus æquiparandas: Quod etiam à cauſa finali agnoſcere licet, & qualiter omnium Iurium fines, Canonicum Ius amplectitur, & ad ſummum perducit.

Nam quinque duntaxat † eſſe vniuerſa Iura (ſempiterno excepto, in Deo exiſtente) ex antecedentibus planè agnoſcitur: Omniaq; propter hominem fuiſſe condita (cum in brutis non detur Ius vt ſupra[o] probauimus) quibus tanquã habenis & frænis, paſſiones eiuscohiberentur, greſſus vndiq; moderarentur, 13

k eo.lib.tit.41.& 3.Clement.tit. 14.

l Lib.3.decret.tit.45.& l.3.tit.22.in 6.& 3.Clement.tit.15.

m lib.3.Decret. tit.40. & 3.tit.21.in 6.

n lib.1.decret. tit.15.

o ſect.6.de iure natur.

in rectumq; tramitem duceretur, experiuntur omnes. Quicunq; enim quatenus *rationalis*, iure vtitur Naturali, ideſt illis primis principijs, in mente à Natura inſculptis, quibus *conſeruationē ſuam appetit; quod ſibi non vult, alteri non inſert: Deum colit; parentes veneratur: & pacta non frangendo, fidem ſeruat*. Quæ naturalia ſunt, licèt aliqui hallucinati aliter ſentiant [p], & brutis non conueniūt cum ratione careant, ad Deum colendum, fidem ſeruandam, & parentes venerandos neceſſaria. Qua quidem nedū in his vtitur homo, verumetiam in rebus omnibus in quibus cum brutis conuenit, vt in coniunctione maſculorū fœminis, filiorum nutritione & ſimilibus.

[p] Leg. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de conſtit. pecun. l. vt vim. ff. de iuſt. & iur.

Iure Gentium vtitur quatenus *ſociabilis* eſt, & ſic ex illis Naturæ principijs rationi innixis, eduxit ratiocinando cōcluſiones, ex quibus effluxere emptiones, venditiones, cæteriq; contractus.

Iure vtitur Cæſareo, aut Regio quatenus *politicus* eſt, ſuperiori poteſtati, quoad temporalia ſubditus, iuxta illud Apoſtoli: [q] *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, vt in pace, & quiete, temporali fruatur fælicitate.

[q] Ad Rom. 13.

Iure diuino vtitur, quatenus à Deo ad cæleſtem patriam, immortalemq; requiem creatus, conſeruatus, & per mortem Incarnati Verbi redemptus eſt. Et

ſic

ſic quatenus *Catholicus*, huic ſubijcitur Iuri, & etiam Pontificio; cuius poteſtas ſpiritualis, & finis ſupranaturalis eſt.

14 Sed horum diuerſorum Iurium† vnicus duntaxat eſt finis, ſcilicet CONSERVATIO: quæ ſecundum Naturale Ius, fit *per generationem, & educationem filiorum*, & ſic ſpecies hominum immortalis remanet. [r] Secundum Ius Gentiũ *per contractus*, quibus homines ſe mutuo iuuant, vt conſeruari valeant. Secũdum Cæſareum, vel Regium, *per ciuilitatem, vel amicitiam*, qua mediante quicunque homo vt animal politicum dirigitur ad viuendum pacificè in Republica ſub poteſtate, & ordinatione [ſ]: quod non excedit temporalium rerũ limites. Secundum Diuinũ Ius per *Fidem, Spem, & Charitatem*, quibus mediantibus ad cæleſtem patriam, æternamq; beatitudinem perducamur iuxta illud, *Non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed aliam futuram inquirimus*; in quã Pontificium Ius tendit, cum diuino innitatur Iuri, eundemq; finem, cæteris longè excellentiorem reſpiciat. Quo circa, nedum in hoc cętera antecellit Iura, ſed etiam quia omnes eorum fines amplectitur,† & vt ſic dicatur, perficit. Nam 15
conſeruationẽ Iuris naturalis, quæ per generationem, & prolium nutritionem fit, comprobat in titulis de ſponſalibus

r Auth. de nupt. in princip. *Ex filiorum procreatione renouata generatione manent, & matrimonii artificiosè immortalitatem introducit.*

ſ Ariſt. l. 1. Eth. Agricol. de dialect. inuent. c. 5.

& matrimonio, & vt certius hoc aſſequatur, diuino inhærendo Iuri, promiſcuos ac indiſtinctos concubitus, ac etiam nefarios cum conſanguineis, & affinibus reijcit, certas ſanctasq; leges huic coniunctioni imponit, quibus naturalis cõſeruatio non impeditur, ſed ei potius opitulatur. Omnesq; conuentiones, cõtractus, & bella à iure Gentium indiſtinctè introducta permittit, ſi contractus liciti ſint & honeſti [t], bella vero iuſta videlicet contra hæreticos infideles, aut rebelles [u]: Iurisq; Ciuilis vſucapiones, & præſcriptiones, ad Reipublicæ quietem, & litium finem adinuentas, approbat, quatenus æternæ ſaluti non aduerſantur, hoc eſt dum mala fides non aduenit [x]. Inquiſitionemq; delictorum, quã Ciuile Ius non admittit [y], Canonicum Ius præcipit, vt ſic poſſint detegi, & corrigi; omniaq; ſtatuta & conſuetudines peccati nutritiuas improbat, [z] In quo excellentius quam Ius Naturale, Gentium, & Ciuile operatur, cum omnes actiones ad normam Chriſtianæ religionis redigat, & ad æternam beatitudinẽ adipiſcendam dirigat.
16 Et † quando in vtroq; Iure aliqui caſus offeruntur terminandi, in ijs deciſionibus quibus à Pontificio Ciuile Ius diſcors eſt, æquitati diſſonum, & rigori innixum eſſe, Pontificium vero in omnibus ſcopum

recti-

c.1. & per tot. de pact.

not. in c. ſicut. 3. de ...reiur.

c. fi. de præſcript. c. ...oſſeſſor de re iud. in 6, Leg. 2. §. pupillo. ff. de ...dult.

c. cum Eccleſia S.M. ...e conſtit.

Sanctitas, æquitas, & ...rudentia Canonici Iu...is in conſtituendo.

recttitudinis attingere, prudentiusque ac ſanctius conſtituere, ex innumeris eorum determinationibus apertè conſtat, è quarum numero nonnulla adducamus. Ciuili conſtitutione pater filiã cum adultero cubantem deprehendens ipſam, licèt pregnantem, interficere poteſt [a], quod inhumanum eſſe liquido apparet, cum arma proprijs viſceribus inſerat, & adulterij peccatum alio grauiore, ſcilicet homicidio, tollere velit. Ex Pontificio vero Iure, nec patris, nec mariti manus, ſunt proprio ſanguine commaculandæ, nec adultera priuatur vita: ſed facta thori ſeparatione, in arctiſſimum carcerem, ne impunita maneat, & vt pænitentiam agat, detruditur [b]. Item iuxta Ciuilis Iuris ſanctionem, matrimonium abſq; conſenſu patris contractum, irritum & inualidum iudicatur [c], & ex conſequenti, filij ex tali matrimonio nati, illegitimi dicuntur [d]. Ex Canonum vero Iure, nec matrimonium inualidum, nec filij illegitimi ſunt; nec patris conſenſus requiritur: quia iure poli reguntur matrimonia, non autem iure fori [e]. Et ſic raptorum connubia, quæ à legibus improbantur, & ſæpè capitali pæna plectuntur, à Canonibus honeſtiori æquitate ductis, admittuntur [f]. Et vidua, quæ iuxta Ciuile Ius, infra luctus tempus ad ſe-

a L. quod ait. ff. de adul Bart. in l. Imperator. ff de ſtat. hom. Fel. in c. ſ vero, de ſent. excom.

b c. de benedicto. 32. q 2. & per tot.

c C. de nupt. l. ſi vt pro ponis.

d Leg. Paulus. ff. de ſta hom.

e 2. q. 3. c. Euphemium §. hinc colligitur.

f c. fi. de adult. & ſtupr c. 1. de rapt.

cunda vota tranſire non valet ſine infamia [g],& alia pæna pro Iudicis arbitrio infligenda; à Canone absq; infamia, & pæna, matrimonio copulari permittitur [h], quia mortuo viro, à lege viri ſoluta eſt.

Item, proles ex inceſtuoſo concubitu, nedum naturalis appellari nequit, & à paterna hęreditate excluditur ex Ciuili iure, ſed quod immaniſſimum eſt, alimẽtis priuatur. *Ex complexu* (inquit [i]) *nefario, aut inceſtu, ſeu damnato, liberi neq; naturales ſunt nominandi, omnis ſubſtantiæ indigni beneficio, vt nec alantur à patre*. Quid rogo, eſt hoc, niſi eos interficere? cum nihil aliud ex alimentorum denegatione reſultet, vt ipſo Ciuili habetur Iure [k]. Et cur qui alieno potius quam proprio laborant vitio, qui ſecundum idem Ius [l] pœna digni non erant, pœnis afficiuntur? Cur etiam ſi hi ſunt à patre fame necandi, ſtatuit Ius Ciuile, quod teneantur inopem patrem alere [m]? Ius vero Canonicum vtrunq; viuere patitur [n]. Sed patris delictum arctiſſima pænitentia punit, filiumq; alendum præcipit, quia nihil peccauit [o]. Sed vt decus matrimonij ſeruetur, à paterna hæreditate, omnibuſq; honoribus, & priuilegijs eum excludit. Cum etiam communitatibus perneceſſarium ſit pacta & conuentiones obſeruari, vt Ciuile

Ius

L.genero.L.liberorũ. ...i.ff. de his, qui notan[tur] infamia. & C. de ... ...cund.nupt.

...not.in c.penul.& fin. ſecund.nupt. & 2.q. ... c. Euphemium. §. ...nc colligitur.

Auth. Ex cõplexu. C. inceſt.nupt.

Leg.vel necare.ff.de ...er.agno.

Leg. leg. 12. Tabul. de nat.liber.

Auth. de inceſtuoſ. ...pt.in fin.

c.cum haberet, de eo ...i dux. in vxor. quam ...llu. per adult.c. cum ...beret de eo qui cog. ...nſang.vxor.

d.l. leg.12.Tabul.

Ius fatetur [p], nullam nihilominus ex pacto concedit actionem. Canones vero eam ex pacto nudo concedũt [q], quia tollendæ fidei occaſionem præbere nolunt. Et cum vſurę ſint facultatum interitus, & Rerumpublicarum pernicies [r], leges ſtatuunt modum vſurarum, eaſq; in iudicio peti permittunt [ſ], quas Canones reprobant, præſertim quia animæ intertrimentum afferunt. Alia huius generis plura adduci poſſent, in quibus Ius Ciuile, à bono & æquo, cuius artem ſe tradere profitetur, nedũ diſiungitur, ſed ſub auctoritate Iuridicæ ſcientiæ cõtra æquitatem inſtituit [t], & cum iure Naturæ, & Gentium pugnat. Sed hæc ſufficiãt ad probandum quod Ius noſtrum ſanctius, & prudentius determinat & conſtituit, in omnibuſq; ſuperabundat. Cum Ciuile Ius præſertim intendat cõſeruare iuſtitiam, propter terminãda litigia; quia ciuilis ſocietas niſi litigia terminentur non conſeruabitur. Canonicum vero è conuerſo intendat terminare litigia, propter conſeruandam iuſtitiam, quia ſuus præcipuus finis eſt ordinare in Deum, & in legem Euãgelicam. Cum etiam, Ciuile Ius non directè priuatorũ commodum, ſed cõmunitatis reſpiciat: Canonicum vero vtrunq; præſtet: & Ciuile Ius ſolum ſiſtat in foro litigij, Canonicum vero ad vtrunq; forum intendat,

litigij

p L. 1.ff.de pact. l. 1.ff. de conſtit.pecu.

q c.1.de pactis.

r c.1.de vſu.in 6.c.poſt miſerabilẽ de vſur.

ſ L.eos.C.de vſur.

t Vt recte agnouerunt Celſ. leg. ſi ſeruum. §. ſequitur.ff.de verb.obl. Imper. l.leg.12. tabul. C.de ll. hær. & in l. ita nobis. C.de adult. & in Auth.de trien.& ſemis. poſt princ. Paul. in l. 1. ff. de except.dol.

litigij ſcilicet, & conſcientiæ, & ſic in vtroq; poteſt quem facere tutum.

His adiunge, quod cum Ciuili conſtitutione ſtatutum ſit [u], in quocunq; Principis, aut Imperatoris reſcripto, clauſulã, *Si preces veritate nitantur*, adijciendã & inſcribendã eſſe. In Pontificio tamen Iure prætermiſſa, id nõ inficit quoniam ex Canonis æquitate pro inſcripta habetur. Inſpice etiã huius Iuris benignitatẽ quod cum Deus & Eccleſia nolint peccatoris mortem, ſed vt conuertatur & viuat; ideo à ſacris cõſtitutionibus Eccleſiaſtici iudices, mortis & capitalis pænæ iudicium atq; ſententiam ferre, & exequi prohibentur; & ſecularibus tãquam ſæuioribus, & inferioribus hoc exequi committitur [x]. Subſunt quidem omnes ſeculares poteſtates Pontificiæ, cui auxilium & obedientiam præſtare tenentur, vt ſupra ſectione de Pontifice Maximo diximus. Et quum aliquid † legibus deciſum nõ eſt, aut decidi nequit Canones adiri ſolẽt [y] à quibus quid iuris ſit eo in caſu accipi poſſit. Et quamuis Principũ conſtitutiones, Eccleſiaſticis Canonibus ſunt poſtponẽdæ [z], interdum definita legibus, in foro Pontificio non reijciuntur: quia dum Euangelicis atque Canonicis decretis non obuiauerint, omni reuerentiæ digni haberi debent [a]. Quod tamen procedit quãdo de-

17

u Leg. vniuerſa. C. de diuerſ. reſcrip. & in c. reſcripta 25.q.2.c.2. de reſcript. Specula. hoc tit. §. ratione.

x L.1.l.qui ſententiam & toto tit.ff. & C. de pænis.

y Auth. vt clerici apud proprios Epiſcopos. §. penult. collat.6.

z cap. ſuſciptiis.d.10. cum concord.

a 14.q.5.c.neque & 10. d.c. ſi in adiutorium.

ficiũt Canones, aliàs autem nullatenus ſunt allegandæ, nec in Eccleſiaſticis cauſis recipiendæ[b], quia nullam vim obtinebunt licèt in fauorem Eccleſiæ ſancitæ ſint, donec à Pontifice Max. confirmentur [c]. Si vero in cauſis aliquibus, æternam ſalutem concernẽtibus, diſpoſitio Iuris Ciuilis reperiatur contraria eſſe diſpoſitioni Iuris Canonici, tunc ratiò eſt hæc, vt Vulteius ait [d], quod etiam in foro politico legibus neglectis, amplectamur Canones, Iuri naturali, & diuinis literis conſentaneos,

18 Quorum dignitas, & eminentia † ex Iuribus quibus conſtant, & ex ſcientijs quibus condecorãtur venit perpendenda. Innititur quidem Ius Canonicum, Naturali, Ius etiam Gentium amplectitur, Ciuiles leges non contemnit, cũ deſcendat in caſtra, humana negotia tractet [e], & neceſſitatibus populi prouideat: legem Euangelicam ex qua conſtat [f] vniuerſaliter ſectatur, & ei ſubalternatur: Philoſophiæ intima inueſtigare non ceſſat: Æthicæ, Politicæ, Oeconomicæ atq; Monaſticæ præcepta præ manibus frequenter habet, quia his facultatibus tàm haberi religio quàm hominum vita ritè inſtitui, & bona gubernari ſolent. Multa etiam Theologica perſcrutatur quæ verè non magis Theologorum, quam Canoniſtarum propria di-

b de noui operis nunciat. c. intelleximus.

c c. cum Eccleſia S.M. de conſtit. c. cum vobis de præſcrip. c. 1. de noui ope. nunc. Abb. in c. ſi diligenti. de for. compet.

d Herman. Vultei. in proleg. Iuriſprud. Rom.

e arg. c. niſi ante fin. de renunt. 1. q. 3. c. ſi quis obiecerit.

f c. qualiter, ij. de accuſ. & not. per Abb. in c. 1 de tranſlat. Epiſc.

ci poſſunt, vt Lancellottus ait [g]. Nam ſi ad Theologos circa ea ſpeculari ac diſputare ſpectat, etiam ad Canonici Iuris legiſlatores, nempe Romanos Pontifices & ſacroſancta Concilia attinere, quæ à Theologis euentilata ſunt, vel reprobare, vel firmare, & ſtatuere vt auctoritatem recipiant, & pro certis habeantur notiſſimum eſt [h]. Aliàs vero robore & exiſtimatione carebunt; quia nouarum quæſtionum diffinitio, & dubitationum in ſide determinatio, proprium Apoſtolicæ Sedis duntaxat munus eſt [i].

19 A cuius inſtitutis haudquaquam recedere licet [k]; quia † ſacris altaribus adminiſtrare, & communionem recipere prohibentur, qui Apoſtolicis decretis fuerint inobedientes [l]; & peccatum infidelitatis, ſeu paganitatis incurrunt [m]. Ac etiam, qui contra ſacros Canones aliquid aut proterue agunt, aut loqui præſumunt; aut facere volentibus ſponte conſentiunt, Spiritum ſanctum blaſphemant; quia contra eum agunt, cuius nutu & gratia ſancti Canones editi ſunt [n], & eo ipſo hæretici iudicantur, & anathematis vinculo obſtringuuntur [o].

Ciuile verò Ius, ex Gentium Iure, & media morum Philoſophia promanare Iuriſconſultus teſtatur [p]: *Veram* (inquit) *Philoſophiam*, non ſimulatam *affectamus.*

[g] Lancellot. Perusin. in ...ct. de comparatione ...riuſque Iuris circa ...edium.

[h] ...c. hæc eſt fides. 24. q. 1

[i] ...c. ſi Romanor. 19. d. c. ...ultis 17. diſt. c. quoties ...q. 1.

[k] c. hoc. c. conſequens. ...diſt.

[l] ...c. nulli fas. 9. d. & c. 1. 22. & c. ita Dominus. 19. D. Greg. l. 2. epiſt. ſeu c. 46. ad Ioan. Epi...pū, relatus in c. hæc. ...nſona. 25. q. 1.

[m] c. ſi qui ſunt. d. 81. c. ...i cathedram. d. 93. c. ...nnes ſiue, diſt. 22.

[n] Ex c. violatores. c. nul... fas. 25. q. 1.

[o] 19. diſt. c. nulli. & 25. ...1. c. generali.

[p] L. 1. ff. de iuſt. & iur.

ctamus. Et Cicero[q] non à Prætoris edicto, neque à duodecim Tabulis, ſed penitus ex intima Philoſophia hauriẽdam cenſet Iuris diſciplinam: *Immò vero litigioſa* (inquit) *legum ratio, ignorantia potius eſt, quam ſcientia*.

q Cic.l.1.de leg.

Supereſt oſtendere, qualiter illa, quæ in vnaquaque re magnopere exoptantur, ſcilicet, *Neceſſitas*, *Vtilitas*, *Delectatio, & Honeſtitas*, in Canonico Iure perſtringuntur. Si neceſſitatem inſpicimus †, nihil vniuerſo Orbi tam 20
neceſſarium, quàm Ius Canonicum, cũ homines ordinet in Deum, & in Euangelicam legem, Sacramenta, myſteria, & præcepta totius Catholicæ religionis contineat, hæreticorum fallacias reijciat; Sanctorum miracula, Doctorũ ſcripturas, & Bibliæ libros veneratione dignos, deſignet, & approbet. Quæ ſi adimas, quid boni in rerum natura ſupereſt? Ecce quàm neceſſarium eſt.

Si vtilitatem deſideras, quæ maior inuenitur, quàm cœleſtis ciuitatis acquiſitio? & in hoc ſeculo fraternæ charitatis fruitio, atque ſupremarum dignitatum, & honorum poſſeſſio. Omnes quidem Catholicæ Eccleſiæ Vicariatus generales, & Iudicandi officia Canoniſtis reſeruari, & deberi dubitat nemo. Illas ſanctæ Inquiſitionis dignitates pro hæreſum extirpatione diuini-

* Inſignes Canoniſtarũ dignitates.

tus

tus inſtitutas, ad Theologos, & Canoniſtas tantummodo attinere, experiuntur omnes. Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & Patriarchatus, ſimiliter Theologorum, & Canoniſtarum proprium, eſſe munus, non verò Legiſtarum, peruulgatum eſt. Illa verò ampliſſima purpuratorum dignitas poſt ſummum Pontificatum ſuprema, Theologis, & Canoniſtis impertiri ſolet: & meritò quidem, cum frequenter ad ſacros perſcrutandos, & ſanciendos Canones, cõſilium eorum exigatur. Qui etiam his ſcientijs imbuti, ad Summum Pontificatum ſibi pararunt aditum, & ex Canonum interpretatione, facti ſunt Canonum conditores. Poſſent hæc exemplis probari, ſed cum horum infinitus ferè ſit numerus, ideoq; res omnibus manifeſta; non eſt cur nos detineat, ſufficit agnoſcere, quòd cùm imæ res parum, magnæ verò plurimum vtilitatis afferant, ex conſequenti Ciuilis Iuris profeſſores; qui, vt monſtrauimus, leuia tractant, ſemper inter priuatam fortunam conſtitère [r], vt in Bartulo, Baldo, Iaſone, Alexandro, Philippo Decio, Paulo Caſtrenſi, cæteriſq; omnibus tam antiquis, quàm recentioribus videre eſt; quos priuatos eſſe homines videmus, & ſub priuato nomine iugiter allegamus.

[r] Quod & not. Lancell. ...ruſ. in tr. de compa...tione Iuris vtriuſque ...rca finem.

Delectationem à cognitione Pontificij Iuris promanantem colligemus † ſi 21
quam neceſſarium & vtile ſit meditatè circunſpiciamus. Non quidem leuia ſed grauiſſima tractat, præ manibus aſſiduè habita, priuatorum commodum, Rerum publicarum quietem, corporum fælicitatem, & animarum beatitudinem concernantia, cum nedum hominũ ſed Dei etiam nos faciat amicos, quæ inenarrabilem afferre delectationem nemo inficiari valet. Honeſtatem huius iuris in ſupradictis nu. 6. liquido mõſtrauimus & ſufficit ſcire quod dirigit nos in Deum, & remouet ea quæ nos auertunt à Deo, vt in toto volumine Decreti patet, & in cæteris alijs voluminibus [f].

Demum † ſiue Origenis vetuſtatem, ſiue Legiſlatoris maieſtatem, ſiue legis poteſtatem, & operationem, ſiue quæſtionum, & materiarum grauitatem, ſi- 22
ue in conſtituendo ſanctitatem, æquitatem & prudentiam, ſiue finis eminentiam, ſiue Iurium, & ſcientiarum ornatum, ſiue neceſſitatem vtilitatem, delectationem, & honeſtatem diligenter expendas, Ius Pontificium tantum Cæſareo antecellere inuenies, quantum æternum commodum temporali, infinitum finito, cælum terris, ſpiritus carni, ſol lunæ [t], & amicitia cæleſtis humanæ, atq; idcirco longè anteponi fateri ne-

f Præſertim in c.fin. de preſcript. c.licèt. & c.cũ contingat de iureiur. c. 2.de pact.in 6.c.1.in fi. de ſumm.Trinit.

t c. ſolitæ de maior. & obed.c.per venerabilẽ, qui fil.ſint legit.c.ſuſcipitis. 10.d. c.ſi Imperator.c.ſicut.96.diſt.

ri neceſſe eſt, Cum eius origo fuerit non à Curiatis, & duodecim Tabularum legibus, ſed ab ipſo Deo ante hominis fabricam, & poſt humani generis Redemptionem, à ſanctis Conciliorum Patribus, & Romanis Pontificibus à Spiritu-ſancto illuminatis. Cum Legiſlatoris Poteſtas non ab homine aliquo vt illa à populis in Imperatores translata, ſed ab ipſo Incarnato Verbo, diuo Petro, eiuſque ſucceſſoribus tradita: Cum materia, & qualitas rerum, quæ tractantur, non leuis, & exigua ſit, ſed tantopere grauis & excelſa, quod humanam ferè ſuperat cogitationem; ac etiam finis non merè naturalis, nec media ſimul naturalia, ſed ſupernaturalis, ad ſupernaturales effectus ſe extendens, iniunctis medijs fini proportionatis: Cũ non iniuſtè & acerbè conſtituat, ſed piè ſanctè, & prudenter decidat; Cùm nedum communitatis commodum, ſed priuatorum pariter reſpiciat; nec ſolum ſiſtat in foro litigij, ſed ad vtrumque forum, litigij ſcilicet & conſcientiæ intendat; Cùm non tantum Iure gentium, & media morum Philoſophia conſtet, & ornetur, verum etiam Iuri Naturali, & Diuino innitatur, Ciuile non contemnat, & Theologica ſcrutetur & approbet; Cùm ſit magis neceſſarium, magis vtile, magis delectabile

&

& magis honeſtum ; & tandem in vniuerſo Orbe, vnum abſolutiſſimũ, quod omnia fouet, nobilitat, perficit, & ſanctificat ; quandoquidem charitatem edocet, peccata auertit, cum Deo conglutinat, & ad cœleſtem patriam, æternamque beatitudinem aditum parat.

FINIS.

Sub correctione Sanctæ matris Eccleſiæ Romanæ, & Doctiſsimorum. Abſoluitur hoc VIRIDARIVM, *ad laudem & ſempiternam gloriam Indiuiduæ Trinitatis, Deiparæq; Virginis, nec non Apoſtolorum Petri et Pauli, Iacobi, & Ioannis Euangeliſtæ.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata ſic corrige.

pag.	*linea*	*error*	*correct.*
9	penult.	Taſpis	Iaſpis.
25	circa mediũ	Nomothete	Nomothetæ.
49	in ſum. nu. 9.	aduerſatus	aduerſatur.
94	24	menibus	mænibus.
104	2	hæ legum	has legum.
155	21	Subſtinuerit	Suſtinuerit.
160	in ſum.nu. 17.	Tridentina	Tridentini.
163	3	piruilegium	priuilegium.
178	1	præcibus	precibus.
179	vltima	eoſum	eorum.
180	4	legitim⁹	legitima.
185	6	interceſſendi	intereſſendi.
	14	nonam	nouam.
188	15	fere	forc.
205	1	præcator	precator.
	19	delit eiam	de lite iam.
208	21	colatio	collatio.
209	29	Menſum	Menſium.
211	12	quande	quando.
213	8	diſſusè	diſſusè.
219	30	profit	proſit.
241	15	queritur	quæritur.
242	23	aunorum	annorum.
243	11	Ecclaſiaſticis	Eccleſiaſticis.
248	18	permulgata	promulgata.
249	19	ratronabilis	rationabilis.
251	in ſum.nu.3.	Iuræ	Iurc.
255	30	Sacramenra	Sacramenta.
256	1	Reliqna	Reliqua.
	18	Orthoxi	Orthodoxi.
	26	Legiſlatoris	Legislatoris.

Reliqua parui ponderis ſunt.

Digitized by Google

fASC
66
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
LAB.
RESTAURO
ROMA